This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600006544P

31.

374.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO

A. CLUENTIO HABITO.

AD FIDEM CODICUM FLORENTINORUM ET MONACENSIUM, NUNC PRIMUM COLLATORUM, ADDITA ALIORUM MANUSCRIPTORUM ALIUNDE NOTORUM ET VETERUM EDITIONUM VARIETATE,

RECENSUIT ET CRITICA ADNOTATIONE INSTRUXIT

IOANNES CLASSEN

PH. DR.

BONNAE

IMPENSIS ED. WEBERI

MDCCCXXXI.

374

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

PRAEFATIO.

A. Cluentii defensio iure inter praestantissimas Ciceronis orationes habenda est: nam in ipso aetatis et virium flore conspicitur summus orator, quum causam perquam impeditam et contortam admirabili ingenii sui felicitate facile explicet, et varios locos inter se diversissimos egregia diligentiae aequalitate persequatur, et susceptas patroni partis indefesso animi vigore strenue ubique sustentet. Accedit quod per totam orationem verissima vitae et morum imago proponitur, qua insanabilis morbus, quo post Syllana tempora imperium Romanum manifesto laborabat, oculis nostris detegitur. Quare etsi Cicero ipse (quod haud gravate Quinctiliano testi I. O. II, 17. credimus) tenebras se iudicibus in hac Cluentii causa obfudisse gloriatus sit, stat tamen suus nobilissimae orationi honor, nobisque imminutum manet officium tam praeclari eloquentiae monumenti conservandi et, si fieri possit, expoliendi et emendandi. Cuius officii quum aliquam partem et mihi obtigisse laeter, huius operae causam et consilium breviter exponam.

Octodecim fere menses sunt, quum *NIEBUHRIUS* (quae est singularis eius erga me benevolentia) ex locupleti suo in multos Ciceronis libros apparatu critico quidquid ad Cluentianam orationem ex Lagomarsinii voluminibus incredibili diligentia Romae collegerat, mihi pertractandum et in usus meos convertendum concessit, monens simul, insignem esse et prae aliis dignam, quae accurate excutiatur, unius codicis per totum libellum lectionis varietatem. Haud dubitanter tam liberalem conditionem accepi meque continuo ad peragendum munus accinxi. Tenebam igitur septemdecim codicum Florentinorum accuratam et integram varietatem, selectam vero quatuordecim veterum editionum. Qua diligenter perlecta et expensa statim intellexi, ut monuerat *NIEBUHRIUS*, unum codicem adeo ante omnis praecellere, ut non solum dubiae fidei locis praestantissimas aliorum MSS. scripturas constanter exhiberet, sed multis locis, qui vulgo sine suspicione legebantur, egregias et insperatas emendationes solus afferret. Iam tum persuasum mihi habebam, duas esse perpetua varietate inter se dissidentes orationis nostrae recensiones, et eam quidem, quae ab imperita manu confecta longe plerisque scriptis exemplis propagata esset, etiam in impressos libros principio transiisse, nec nisi paucis locis postea correctam ad hodiernum usque diem vulgari. Cui sententiae maior fides accessit, quum palimpsestum Taurinensem, venerandae vetustatis volumen, cuius orationum Ciceronianarum fragmenta egregia cura Cl. Peyronius contulit, saepissime cum praestanti codice Florentino consentire viderem, etiam ubi nulla ex ceteris MSS. discrepantia in notitiam venerat, quumque simul animadver-

terem, quidquid bonae frugis vel Lambinus ex suis libris, vel Gulielmus e codice S. Victoris enotaverat, ubique fere in nostro totidem verbis apparere. Sed quum neuter eorum continuam curam, qualem laudabilis recentiorum criticorum usus postulat, in libris conferendis impendisset, nihil magis mihi optandum erat ad firmandam egregii codicis Florentini auctoritatem, quam ut unum alterumve eiusdem praestantiae scriptum librum nanciscerer, cuius perpetuum testimonium aliquid ponderis adiiceret in iniqua unius codicis cum innumeris aliis comparatione. Ecce, hoc quoque praeter exspectationem mihi obtigit. *NIEBUHRIUS*, qui rationes meas consilio et ope sua fovere et adiuvare non desierat, in Monacensi bibliotheca, si in patria ulla, aliquid auxilii sperari posse suspicabatur. Cogitavit de ipso codice Tegernseeati, an forte recentior inquisitio desideratum hunc per multos annos thesaurum rursus eruisset, et si haec exspectatio audacior fuisset, non ignoravit, quam egregia bonarum litterarum adiumenta illic asservarentur. Ipse igitur meo nomine precibus adiit *Thierschium*, virum nescio utrum ob praeclaram animi et morum humanitatem an propter admirabilem doctrinae copiam et elegantiam magis praedicandum, per eumque viros clarissimos, qui regiae Monacensis bibliothecae curam gerunt: a quorum eximia liberalitate statim illud impetravit, ut recensum mitterent et accuratam notitiam cum variae lectionis specimine codicum et veterum editionum, e quibus aliquid fructus ad Cluentianam orationem redundare posset. Viro doctissimo, qui Thierschio petente molestum huius operae laborem suscipere non recusavit, quam maximas gratias publice ago. Quam grato animo quan-

taque laetitia curam hanc commodis nostris impensam excepi, quum unus codex Monacensis, qui Salisburgo in regiam bibliothecam illatus erat, prorsus cum optimo Florentino consentire appareret. Magna igitur apud me huius inspiciendi cupido exorta est, nec frustra concepta. Nam iidem viri clarissimi, quorum liberalitatem iam experti eramus, a *NIEBUHRIO* iterum litteris rogati, omnis, quos expetivimus, tum scriptos tum impressos libros, concedente supremo publicae institutionis in regno Bavarico administrandae consilio, Bonnam transmittere non dubitarunt. Continuo ego accuratam eorum comparationem institui, qua quidem bona spes, quam de Salisburgensi statim conceperam, egregie confirmata est. Nam quum per totam orationem eius varietas cum praestantissimi Florentini scripturis conveniret, ita tamen in rebus minutis ab eo discessit, ut neutrum ex altero fluxisse, sed utrumque ex antiquiore fonte derivatum esse compertum haberem. Quo saepius autem constantem utriusque codicis recensionem perpendebam, eo minus dubitare potui, quin ubique fere vulgatae longe praestaret, et in universum revocanda esset. Hoc consilium nova hac editione sequuti sumus. Et quamquam institutum nostrum se ipsum doctis viris, quorum iudicium magni facimus, probare debet et commendare, haud inutile tamen videtur eas rationes, quibus maxime confidimus, hoc loco proponere.

Primum igitur illud nobis magnam horum codicum fiduciam facit, quod haud raro receptam iam et diu vulgatam scripturam, quam interpretes iampridem unice probarunt, ab iis solis servatam esse videmus, reliquos omnis, quorum

notitiam habemus, in alia omnia abire. Sic enim iure censemus, alios exstare aut olim exstitisse melioris recensionis libros, qui tamen, postquam altera, cuius longe plura exempla inveniuntur, semel in vetustissimas editiones abierat, nonnisi vaga observatione inspiciebantur, et urgente necessitate, ubi ceteris subsidiis editores destituti erant, in auxilium vocabantur. Quum igitur iniquo casu factum sit, ut deterior orationis forma, quaeque saepissime, ubi praestantior ad interpretum cognitionem pervenerat, ab ipsis relicta est, in editionibus nostris praevaleat: consentaneum esse videtur, meliorem formam, sicubi integram eam cognoscere licuerit, restituere. Quae ratio quo facilius intelligatur, in unum locum collegimus partem locorum, quibus vulgata scriptura sola praestantium librorum auctoritate nititur.

	Lectio vulgata.	Lectio omnium codicum praeter paucos melioris notae.
P. 17, 17.	*in foro palam multis audientibus*	*in foro palam audientibus*
» 34, 7.	*circumventum esse dicet*	*circumv. dicit esse*
» 40, 8.	Verba: *Nisi forte — — debent*, e novissimis editionibus post Gruterum immerito eiecta, nonnisi in paucis optimis codd. leguntur.	
» 44, 5.	*inquam*	*umquam*
» —, 12.	*nam etsi*	*nam si*

P. 47, 12.	*iam hoc non ignoratis*	*iam hoc ignoratis*
» 56, 7.	*illi iudicio invidiam*	*illi invidiam*
» 81, 15.	*quum fidem et diligentiam*	*fidem et dilig.*
» 85, 17.	*dum vero*	*quum vero*
» 92, 15.	*existimari*	*existimare*
» 93, 13.	*ob Oppianici damnationem*	*ad Opp. damn.*
» 95, 13.	*referendum*	*perferendum*
» 99, 19.	*recitata esse*	*recitata*
» 122, 9.	*tam diu*	*iamdiu*
» 127, 3.	*quaerebant homines*	*homines* (om. *quaerebant)*
» —, 25.	*sine causa in quaestionem*	*sine causa quaestionem*
» 129, 18.	*in quibus*	*de quibus*

His locis igitur quum praeiudicium quoddam superiorum editorum teneamus, ex quo satis certo colligere licet, etiam aliis locis illos, si meliores scripturas paucorum codicum, quos tam saepe sequuti sunt, cognitas habuissent, eas non spreturos fuisse; iam nostrum esse videtur, ut ex magno numero novarum, quas primi ex iisdem libris recepimus, emendationum praestantiores quasdam eligamus, ut istae apud aequos iudices quasi testes sint et sequestres totius recensionis nostrae praestantiae. Exhibemus igitur talium locorum delectum, ad quos, si quis accuratas rationes requirat, adnotationem nostram consulat.

	Lectio editionis nostrae.	Lectio vulgata.
P. 9, 9.	*hic autem, pro quo dicimus, nihil possit offensionis accipere*	*huic autem, pro quo dicitur, — accedere*

P. 12, 16.	*nam quae videre* cett.	*ne, quam videre* cett.
» 13, 9.	*ego, qui ad hominum pericula defendenda adiungerer*	*ego quum ad amici pericula depellenda adhiberer*
» 20, 18.	*spe optime confirmato*	*spe optima confirmato*
» 45, 11.	*corrumpendi iudicii fuisse*	*corrumpendi fuisse*
» 47, 1.	*datis muneribus*	*donis datis muneribusque*
» —, 13.	*bestiae fame monitae*	*bestiae fame dominante*
» 50, 17.	*minime amarus iis visus est, qui — degustarant*	*min. am. is visus est, qui — degustarat*
» 51, 3.	*nationis magis quam generis*	*nationis suae magis q. generis*
» 64, 21.	*tum populus Romanus*	*tum Praetor*
» 67, 21.	*At enim etiam*	*At etiam*
» 80, 2.	*quibus — lites maiestatis essent aestimatae*	*quibus — lites essent aestimatae*
» 81, 16.	*ex hac mihi concedat*	*in hac mihi conc.*
» 88, 19.	*Quare qui in bello — deliquerat*	*Quare ne in bello — delinqueret*
» 97, 19.	*quasi, si quid*	*quasi quid*
» 114, 16.	*pro rei dignitate*	*pro rei publicae dignitate*

Est hoc insignium lectionum specimen, quas duo praestantissimi codices soli nobis suppeditarunt: in quibus eas omnis praetermisimus, quae coniuncta horum et palimpsesti Taurinensis auctoritate firmantur, neque eas commemoravimus, quas Gulielmus et Lambinus e suis codicibus antea

emptaverant. Quantum tamen constans fere omnium horum librorum cum nostris consensus ad stabiliendam eorum fidem faciat, nemo non sentit, qui noverit, quale pretium et olim codicibus Lambinianis et S. Victoris, et nuper libro Taurinensi iure statutum sit. Placet igitur, quamvis accurata huius rei cognitio e lectionis varietate, quam orationis contextui subiecimus, peti possit, in unum locum conferre praecipua exempla, quibus codices illi, quos nos potissimum sequimur, cum Taurinensi et Lambinianis conveniunt. Primum igitur Taurinensis consensus his fere locis conspicitur, in quibus veram recensionis diversitatem inesse inprimis diversa saepe a vulgata scriptura verborum collocatio demonstrat.

	Lectio editionis nostrae Palimpsesto Taurinensi confirmata.	Lectio vulgata.
P. 4, 11.	*in hac difficultate*	*in hac tanta difficultate*
» 6, 9.	*oratio*	*ratio*
» 14, 13.	*sin erunt*	*sin autem erunt*
» 16, 1.	*fratrem reliquit*	*fratrem suum reliquit*
» —, 4.	*heredem fecit*	*fecit heredem*
» —, 10.	*recuperandi filii*	*filii recup.*
» 17, 12.	*adolescentis suosque*	*adolescentis propinquos suosque*
» —, 17.	*perpropinquus*	*propinquus*
» 25, 1.	*cuius*	*quum eius*
» 26, 20.	*ibi diem*	*et ibi diem*
» 52, 15.	*illo tempore*	*eo tempore*
» 54, 1.	*homines, qui hoc*	*homines hoc*
» —, 9.	*absolverunt*	*absolverent*

P. 64, 18.	*illis*	*his*
» —, 20.	*inquit, idcirco*	*idcirco, inquit*
» 102, 7.	*sine lege copiosissime*	*cop. sine lege*
» —, 12.	*obtineremus*	*obtinerem*
» —, 20.	*contineatur*	*teneatur*
» 103, 19.	*ante*	*antea*
» —, 21.	*Quid ergo?*	*Quid ergo est?*

In quibusdam horum locorum etiam Lambini libri ad scripturam a nobis receptam accedunt. Sed Lambinianae varietatis cum nostra similitudinem paulo accuratius indicare operae pretium est: quia hinc quoque summa immortalis viri diligentia cognoscitur, cui recentior demum aetas, post iniquas invidorum simultates, iustior exstitit aestimatrix. Apparet enim illum, etiam ubi de libris nihil commemorat, multas tamen praestantiores scripturas e codicibus suis recepisse: eiusmodi locos praefixo asterisco (*) distinguemus. Ceterum quum propter frequentem consensum verisimillimum sit, codicem S. Victoris, quem postea Gulielmus contulit, fuisse inter eos, quibus Lambinus utebatur, etiam huius MS. varietatem apponimus hoc signo (†) notatam.

		Lectio optimis codicibus nostris cum Lambinianis communis.	Lectio vulgata.
	P. 3, 2.	*partis*	*partes*
†	» 6, 9.	*oratio*	*ratio*
	» 10, 12.	*in omni causa*	*nominis causa*
*	» 12, 15.	*esse faciendum*	*faciendum esse*
	» 13, 9.	*qui*	*quum*

	P. 13, 17.	*profectum*	*perfectum*
	» 15, 9.	*potuerit*	*debuerit*
	» 22, 3.	*propriora*	*propiora*
	» 24, 8.	*multos*	*plures*
*	» 30, 23.	*illi*	*illum*
†	» 33, 14.	*et*	*sed*
	» —, 19.	*diligentia*	*dignitate*
*	» 34, 1.	*multa*	*multis*
†	» 41, 12.	*ita tum*	*iam tum*
†	» —, 15.	*persona causaque*	*causa*
†	» 45, 5.	*inimicus*	*iniquus*
†	» 47, 2.	*fautore*	*auctore*
*	» 50, 1.	*consilii*	*consilium*
†	» 56, 7.	*illi iudicio invidiam*	*illi invidiam*
	» 59, 8.	*effectum*	*confectum*
	» —, 9.	*condemnationem*	*damnationem*
*	» 75, 10.	*totam causam*	*causam totam*
*	» 76, 21.	*mores et arrogantiam eius*	*mores eius et arrogantiam*
*	» 77, 3.	*ad rostra*	*in rostra*
*	» 78, 17.	*nitebatur*	*niti videbatur*
	» 81, 6.	*consuetudo*	*necessitudo*
*	» —, 15.	*quum fidem*	*fidem*
	» 83, 14.	*sublatas*	*deletas*
†	» 86, 5.	*abortione*	*potione*
†	» —, 6.	*uxores*	*uxorem*
*	» 88, 1.	*non oppressus*	*non est oppressus*
	» 93, 19.	*adiungeret*	*coniungeret*

*	P. 97, 11.	*aut patronorum*	*ac patronorum*
	» 108, 6.	*concludatur (antur)*	*includatur*
*	» 115, 3.	*potuerint*	*potuerunt*
*	» 116, 7.	*a sectoribus*	*de sectoribus*
†	» —, 17.	*hospitem*	*hospitum*
*	» 121, 5.	*adspicere*	*respicere*
	» 123, 10.	*L. Quinctium*	*C. Quinctilium*
*	» 128, 11.	*ceterorum*	*et ceterorum*
	» 132, 17.	*A. Aurium*	*Aurium*
	» 133, 12.	*atque*	*ac*
*	» 134, 1.	*antea*	*ante*

His rationibus satis ponderatis, quum praestantissimorum codicum fides ita ab omni parte firmata esse videretur, ut recensionem eorum, quantum fieri posset, integram exhibere constituerem: nihilo minus tamen etiam vulgatae recensionis, qualis in codicibus et editionibus apparet, plenam et accuratam notitiam adipisci valde cupiebam, ut comparandi et iudicandi ubique esset idonea copia. Et hanc quoque ad rem satis ampla subsidia nactus sum. Nam primum quod ad codices attinet, ad eum apparatum, quem ex editis aliorum collationibus colligere licuit, hoc est, ad varietatem lectionis octo Palatinorum a Grutero negligenter excerptorum, duorum codicum Francii, quos Graevius contulit, Regiorum Lallemandii, quorum numerus incertus est, et sex Oxoniensium paulo diligentius inspectorum, accessit sedecim Florentinorum codicum, praeter principem illum, a Lagomarsinio accuratissime instituta collatio, et unius Monacensis, quem una cum

egregio Salisburgensi usurpandum nobis concessit summa Regiae bibliothecae praefectorum liberalitas, nunquam satis nobis praedicanda, perpetua scripturae discrepantia. Sed hi libri omnes, quotquot sunt, ad unum idemque genus pertinent, ex quo vulgata fluxit recensio: bonitate quidem paulum inter se distant, quum alii hanc deteriorem formam minus corruptam repraesentent, alii praeter communia vitia multis et foedis mendis scateant, quumque alii orationem integram contineant, alii pluribus locis unius duarumve paginarum iactura hiulci sint. Nos quidem in ordine codicum constituendo quantum fieri potuit, operam dedimus, ut eiusdem familiae exempla coniuncta appareant: quod in ipso recensu statim iudicabimus. Sunt igitur scripti libri, quorum varietatem dedimus, hi.

I. Codices praestantissimi.

A. Codex olim Salisburgi, nunc in bibliotheca Regia Monacensi sub no. 55.[a] servatus, seculo fere decimo quinto elegantissima manu in membranis formae maximae conscriptus: Cluentiana oratio inter triginta duas locum vicesimum alterum tenet: sed ex reliquis omnibus, quantum obiter eos percurrendo intellexi, vix ulla insignem varietatem praebet. Cl. Wunderus, qui eundem librum nuper ad Plancianam contulit (Mb.), paucas in eo melioris notae scripturas invenit.

B. Codex membranaceus forma 4. mai., in bibliotheca Laurentiana n. 12. plutei XLVIII., Lagom. n. 12. Praeter nostram sedecim Ciceronis orationes continet, sed nullam ce-

terarum memorabili lectione insignem. Hunc codicem Lagomarsinius a. 1748. d. Aug. 22. contulit, quod ipse nota in libri fronte apposita, ut in omnibus facere consuevit, testatur. De tota hac Lagomarsinii opera in Ciceronis libris impensa adeundus Bandinius in Catalog. codd. Latin. bibl. Medic. T. II. p. 467. et Cl. Peyron. ad Ciceronis orationum fragmenta inedita pag. 237.

C. Palimpsestus Taurinensis a Cl. Peyronio summa diligentia tractatus. Variae lectiones ad nostram orationem leguntur in libro modo memorato p. 185 — 194. Sunt octo loci, qui in illo servati exstant, hi: 1) principium orationis usque ad c. 3. 7., p. 7, 3. 2) Inde a c. 6. 18., p. 14, 6., usque ad c. 8. 24., p. 18, 7. 3) C. 11. 32., p. 24, 1. — c. 13. 38., p. 27, 18. 4) C. 27. 74., p. 52, 12. — c. 29. 78., p. 55, 21. 5) C. 34. 92., p. 64, 16. — c. 34. 94., p. 66, 12. 6) C. 36. 101., p. 70, 2. — c. 37. 103., p. 71, 18. 7) C. 46. 129., p. 89, 9. — c. 47. 131., p. 91, 5. 8) C. 52. 145., p. 102, 7. — c. 53. 147., p. 104, 6.

II. Codices deteriores.

Classis 1.

a. Codex Laurentianus plut. LII. 1., Lagom. 65.: chartac. 4. mai., seculi decimi quinti ineuntis. Praeter Leonardi Aretini Ciceronem novum, h. e. Ciceronis vitam, inter alias orationes Cluentianam exhibet *pro Lucio Cluentio inscriptam.* Plurimis locis iste cum duobus, qui proxime sequuntur, consentit, sed magnis hiat lacunis, duabus,

quas communis habet cum aliis, inde a p. 70, 11. usque ad p. 74, 14. et a p. 87, 15 — 92, 4.; tertia, qua solus inflictus est, inde a p. 103, 9 — 134, 23.

b. Cod. S. Marci n. 106., Lagom. 6., chartaceus. Continet orationes 29., Cluentianam octavo loco, et hanc quidem a secunda manu ita pertractatam, ut vulgaris recensio, quam antea cum codd. *a* et *c.* fere consentientem habuerat, nunc saepissime ad optimorum librorum exemplar mutata sit, utque quatuor lacunae, quae prius in illo, sicut in aliis, apparebant, (1) p. 70, 11 — 74, 14. 2) p. 87, 15 — 92, 4. 3) p. 106, 6 — 110, 16. 4) p. 124, 12 — 128, 11.) omnes sint expletae.

c. Cod. Laurentianus. plut. XLVIII no. 24., Lagom. 24., nitidissime scriptus 329. foliis membranaceis formae maximae orationes triginta sex tenens. Cluentiana in eo quoque saepissime a secunda manu correcta est.

Classis 2.

d. Codex olim bibliothecae S. Bartholomaei Faesulis, inter Faesulanos apud Bandinium n. 187., Lagom. 1., membranaceus sec. decimi quinti: is per totam orationem nostram cum tribus, qui sequuntur, saepissime convenit, lacunarum immunis.

e. Cod. S. Marci no. 103., Lagom. 3., chartaceus, omnis Ciceronis orationes praeter Verrinas et Philippicas tenens.

f. Laurentianus plut. XLVIII n. 7., Lag. 7., chartaceus fol. 353., sec. 15., omnis orationes, etiam Poggianas, continens.

g. Laurentianus pl. eiusdem n. 8., Lag. 8., membranaceus sec. 15., fol. 330.; item orationes omnis tenens.

h. Laurentianus eiusdem plutei n. 25., Lag. 25., apud Wunderum ad Plancianam La., membranaceus formae maximae, perperam a Bandinio ad seculum XIII. relatus, quum orationes Poggianas, seculi decimi quinti initio inventas, contineat. Hic sicut quatuor, quos statim recensebimus, Oxonienses, in universum quidem convenit cum recensione codd. *d e f g*, in rebus minutis tamen ita ab illis discedit, ut diversis intervallis omnis ex eodem fonte manasse credibile sit.

i. Oxoniensis C. chartaceus a. 1450. Accuratior eius et ceterorum Oxoniensium notitia datur in edit. Oxon. a. 1783. T. I. p. 7. sqq. et in *Variis lectionibus* ex hac editione et Neap. descriptis, Hal. 1825. P. I. p. 2. sqq.

k. Codex Digbaei n. 251. Oxon. H. Membran.

l. Codex bibliothecae Lincolniensis Collegii Oxon. S. Membran.

m. Codex Oxoniensis bibliothec. Collegii Balliolensis Ψ. Membran.

Classis 3. codicum mediocrium, qui omnes quatuor iisdem lacunis ad cod. *b.* indicatis infecti sunt, ceterum varie inter se discrepant.

n. Codex bibliothecae Regiae Monacensis n. 68. membran. fol. min., sec. 15. nitide scriptus, sed pessima orthographia; Wundero Ma.

o. Oxoniensis XI. membran. fol. Colleg. Novi in bibl. Bodlei. 1213., Monacensi *n* etiam in vitiis simillimus.

p. Laurentianus plut. LI. n. 10., Lagom. 64., membranaceus sec. undecimi, characteribus Langobardicis, forma 4. Praeter M. Terentii Varronis libros de lingua Latina Ciceronis orationem Cluentianam et Rhetorica ad Herennium continet. Hic liber omnium, quibus usi sumus, antiquissimus, haud dubie pro fonte habendus eorum, qui sequuntur, et omnium fortasse, in quibus eaedem lacunae apparent.

q. Laurentianus plut. XLVIII. n. 9., Lag. 9., membr. fol. sec. 15. elegantissime scriptus. Desinit iste c. 67. 192. p. 134, 23.

r. Cod. S. Marci n. 102. membran., Lag. 2.

s. Laurentianus plut. XLVIII. n. 10., Lag. 10., membran. fol. sec. 15.

t. Laurent. eiusd. plut. n. 11., Lag. 11., membran. fol. sec 15.

u. Laurentianus ei. pl. n. 13., Lag. 13., membran. fol. sec. 15. Hi quatuor codices *r* — *u* magno inter se consensu insignes sunt.

v. Laurentianus membr. fol. sec. 15., eiusd. plut. n. 20., Lagom. 20., eleganter sed parum emendate exaratus.

w. Cod. chartaceus colleg. Lincoln. n. 14. Oxon. T.

x. Cod. Lagomarsinii 86.: incertum ex qua parte bibliothecae Mediceae; v. Peyron. p. 240. Varietatem eius haud contemnendam ad priorem orationis partem non integram habemus.

Omnis reliquos codices, quorum lectionem ex aliorum collatione passim cognitam habemus, suo quemque nomine et loco notamus: scilicet codices Lambini tum plures, e quorum numero librum S. Victoris esse suspicamur, tum unum Sylvii librum, codices Palatinos octo a Grutero ipso, et S. Victoris codicem a Gulielmo inspectum, cuius excerpta in Gruteri usum cesserunt, duo codices Francianos, quibus I. G. Graevius, et Dresdensem unum, quo Graevio petente Gothofredus Graevius frater utebatur; denique codices Regios incerto numero, quos Lallemandius magna negligentia contulit.

Editionum autem, quibus aut nobis ipsis uti licebat, aut quorum scripturas ab aliis editoribus enotatas in nostram transtulimus adhibita ubique Lagomarsinii eorundem librorum collatione, hic est numerus et ordo.

a. Editio Ciceronis orationum anni 1472. sine loci notatione, quam Fabricius describit Bibl. Lat. ed. 1773. I. p. 167. Ad calcem libri haec subscriptio legitur:

Hoc ingens Ciceronis opus causasque forenses
Quas inter patres dixit et in populo,
Tu quicunque leges. Ambergau natus ahenis
Impressit formis. Ecce magister Adam.
MCCCCLXXII.

Rarissimum hoc volumen, cuius usum rursus liberalitati Regiae Monacensis bibliothecae praefectorum debemus, ad exemplum alicuius deteriorum codicum, quos tertiae classi adscripsimus, impressum est: nam similes per illud

saepissime errores propagati sunt, et eaedem, quae in his, lacunae conspiciuntur.

β. Ed. Veneta a. 1480.; cuius varietatem ex Garatonii notis collegimus.

γ. Ed. Veneta a. 1483. ab Orellio diligentissime collata, parcius a Garatonio. Veneta utraque orationem integram continent talem fere, qualis in mediocribus secundae classis MSS. legitur.

δ. Ed. Mediolanensis a. 1498. per Alexandrum Minucianum, prima Ciceronis operum collectio: nova recensione, sed in Cluentiana nullius pretii. Exemplo usi sumus bibliothecae Reg. Monacensis.

ε. Orationes Ciceronis per Philippum Beroaldum recognitae, Bononiae a. 1499.: qua editione prima nostra (*a*) fere ad verbum expressa est, sed lacunae expletae sunt. Exemplum, quod nobis ex bibl. Reg. Monacensi utendum benigne concessum erat, olim Petri Victorii fuerat eiusdemque viri venerandi manu diligenter tractatum. Nam margo eius praeter brevia lemmata ad notandum dicendi usum spectantia duorum codicum varietatem adscriptam continet, alterius eiusdem vetusti libri Laurentiani Langobardicis characteribus conscripti, quem nos Lagomarsinii opera accurate cognitum habemus (v. supra ad *p*): — prorsus enim Victorii descriptio initio orationis apposita cum illa quadrat, quam ex Bandinio petivimus, modo tum ad Divi Marci bibliothecam pertinuerit, qui nunc inter Laurentianos servatur; et ipsa

lectionis varietas a Victorio enotata acuratissime consentit cum Lagomarsiniana nastra; — alterius a Victorio neque satis descripti neque perpetuo collati, eatenus tamen ut, eundem eum esse cum uno mediocrium Florentinorum, et maxime quidem cum nostro *v*, veri simillimum sit. Haec est Victorii nota ad frontem orationis adscripta: *Contulimus quondam hanc orationem pro Habito cum vetere codice litteris Langobardicis scripto, qui est in Divi Marci bibliotheca, non sine summa diligentia. Nunc iterum cum altero manuscripto, quem g littera signabimus, conferamus. Priorem Langob. λ littera designavimus.*

ζ. Ed. (omnium operum) Io. Badii Ascensii Paris. 1511., quae Mediolanensem plane reddit. Hanc ex bibliotheca gymnasii Catholici, quod Coloniae floret, Birnbaumii, viri clarissimi, humanitate nactus sum.

η. Ed. (orationum) Florent. 1515. apud Iuntam cura Nicolai Angelii, in qua saepe sive ex MStis sive ex coniectura Beroaldi contextus corrigitur. Orellius eam contulit.

θ. Ed. (operum omnium) Venet. 1534. ap. Iuntam per Petrum Victorium, in qua orationes a Naugerio laudabili diligentia, sed non sine suspicionum audacia recensitae sunt. Eius varietatem ex Garatonio petitam damus.

ι. Ed. Basileensis a. 1528. per Cratandrum, quae plerumque Iuntinam sequitur; ab Orellio in usum vocata.

. Ed. Basil. a. 1540. per Ioach. Camerarium; interdum a superiore paulum recedens. Exemplo usus sum bibliothecae Niebuhrii.

λ. Ed. Veneta Pauli Manutii a. 1562.: ad exemplum Naugerianae passim correcta: ex bibliotheca illustris Academiae Fridericiae Wilhelmiae Rhenanae.

μ. Ed. Paris. 1539. Roberti Stephani, qui Victorianam sequitur non sine proprio iudicio: ex bibl. gymnasii Cathol. Colon.

ν. Ed. Paris. 1554. Caroli Stephani. Ad eius calcem additae sunt: *variae lectiones vetustorum exemplarium inter se collatorum*: eas, quamquam omnis fere in pravis ed. 1472. scripturis reperimus, signo ς notatas exhibemus. Niebuhrii exemplum contulimus.

ξ. Praestantissima Lambini editio a. 1566.: quae et ab Orellio diligentissime collata erat, et nobis ad usum erat concessa ex biblioth. Acad. Fr. Wilh. Rhen. Alteram editionem Lambinianam post magni viri mortem, deserta plerumque ipsius recensione a. 1584 confectam, nonnisi ubi manifesta vitia inde originem duxerunt, suo nomine (ed. 1584.) commemoramus.

ο. Ed. Iani Gruteri, a Iac. Gronovio repetita Lugd. 1692.

π. Ed. I. G. Graevii, quam in Neapolitana Garatonii repetitione a Niebuhrio liberaliter commodata tractavimus.

ρ. Ed. Ernestii a. 1776.

σ. Ed. Schützii.

τ. Novissima Orellii editio.

ς. Variae lectiones Caroli Stephani.

Praeterea brevitatis causa his notis utimur;

Π codices noti omnes.

R reliqui codices praeter eos, quos quovis loco enumeravimus.

O editiones notae omnes.

vulg. maior editionum pars, praecipue editiones Gruteri et quae sequuntur.

Horum signorum usu totam lectionis varietatem ita disposuimus, ut ad eam accurate cognoscendam nihil difficultatis aut dubitationis superesse speremus. Quantum in nova recensione restituenda praestiterimus, apposita ubique inter contextum et varietatem vetere scriptura, quam deseruimus, indicatum est.

Restat ut pauca de orthographica ratione dicamus, quam in scribendo sequimur. Etsi cupide exspectamus quaestiones de veterum scribendi modo, quas nuper se editurum pollicitus est Cl. Wunderus, quia plerisque eius doctrinae partibus nos prorsus assensuros esse certe scimus: non placuit tamen in scribendo eandem viam tenere, quam ipse in novissima *orationis Plancianae* editione ingredi ausus est. Credimus Ciceronis aetate plurima sic esse scripta, ut ille edidit: tamen nostrum non esse videtur, qui quarto post renatas litteras seculo vivimus, postquam vulgarem usum tot immortalium virorum opera sanxerunt, nunc repente alio more Latine scribere incipere: quo facto vereor ne nimium mutata esse videatur forma et species, qua tam diu florentem philologiam indutam adspicere consuevimus. Quare nihil novavimus: sed ubi grammatica diserte verum docet, velut in accusativo plurali tertiae declinationis in *is* terminanti (v. Priscian. L. VII. p. 755. sqq. P.), magnorum

criticorum exemplum sequuti sumus, vel ubi recentior usus sine idonea causa invaluit, codicum et veterum editionum scripturam restituimus, quod factum est in verbo *accersere*, in quo formam optimis codicibus nostris confirmatam recepimus: cfr. Cort. ad Sall. Cat. c. 40. 6. In reliquis a vulgari usu non discessimus.

D. Bonnae. D. 8. Septembr. MDCCCXXX.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO

A. CLUENTIO HABITO.

M. TULLII CICERONIS

PRO

A. CLUENTIO HABITO

ORATIO AD IUDICES.

Animadverti, iudices, omnem accusatoris oratio- 1
nem in duas divisam esse partis, quarum altera 1
mihi niti et magno opere confidere videbatur invidia iam inveterata iudicii Iuniani, altera tantummodo consuetudinis causa timide et diffidenter attingere rationem veneficii criminum; qua de re lege est haec quaestio constituta. Itaque mihi certum est, hanc eandem distributionem invidiae et criminum sic in defensione servare, ut omnes in-

Inscr. Avito *om.* ad Iudices.

Inscriptio non legitur in B C u v Habito *Ab d e f g h k m o r s t α β γ δ ε ζ η θ ι κ λ μ ν* Avito *ξ ο π ρ σ τ: reliqui codd. omittunt cognomen; vid. ad cap.* 5. *init.* Ad iudices *add. ex Æ*

1. Animum adverti *A* omnem *om. n o* 2. partis *A B cod. Lambini* partes *R O* 3. videatur *C* 4. iudici *C* alteram *C* 6. orationem *C* veneficii et criminum *cod. Fr.* 7. haec est quaestio constituta *a b c q* haec qu. const. est *α ε* 9. in *om. n* defensionem *C*

telligant, nihil me nec subterfugere voluisse reti-
2 cendo, nec obscurare dicendo. Sed quum considero, quomodo mihi in utraque re sit elaborandum, altera pars, et ea quae propria est iudicii vestri et legitimae veneficii quaestionis, per mihi brevis et non magnae in dicendo contentionis fore videtur, altera autem, quae procul ab iudicio remota est, quae concionibus seditiose concitatis accommodatior est, quam tranquillis moderatisque iudiciis, perspicio, quantum in agendo difficulta-
3 tis et quantum laboris sit habitura. Sed in hac difficultate illa me res tamen, iudices, consolatur, quod vos de criminibus sic audire consuestis, ut eorum omnem dissolutionem ab oratore quaeratis; ut non existimetis, plus vos ad salutem reo largiri oportere, quam quantum defensor purgandis criminibus consequi et dicendo probare potuerit; de invidia autem sic inter vos disceptare debetis, ut non, quid dicatur a nobis, sed quid oporteat dici, consideretis. Agitur enim in criminibus A. Cluentii proprium periculum, in invidia causa communis. Quamobrem alteram partem causae sic agemus, ut

4. *om.* et 11. hac tanta difficultate

4. pars, et ea quae *C* pars est ea quae *ABabchklm nopqrstuv Fr.α* pars quae *defgioyδεζηιx* pars ea quae *λμνξ et seqq. omnes* iudici *C* 5. vestri] oratio *α* benefici *C* quae per mihi brevis *bchqv* quae mihi br. *now* mihi perbrevis *A* 7. ab *BCb* a *RO* 8. contionibus *ABcdefghnpqrstuv* 10. prospicio *αμ ιλμνξοπ* 11. habitum *ipqstuw* habitu *α* quantum difficultatis et quantum sit habitura laboris *Diomed. p. 467. P.* in hac difficultate *ABC* in hac tanta difficultate *RO* 12. consulatur *C* consulatui *α* 13. consuevistis *aiqw αεηλμνξ* 14. omnem] omnium *C* 15. ut vos non *α* 17. probare] purgare *B* 18. autem *om. n* vos] nos *Cabcipq α* 21. in *om. Babcdefgiklopqrstuv αδεζ*

vos doceamus; alteram sic, ut oremus. In altera diligentia vestra nobis adiungenda est: in altera fides imploranda. Nemo est enim, qui invidiae sine vestro ac sine talium virorum subsidio possit resistere. Equidem quod ad me attinet, quo me vertam, nescio. Negem fuisse illam infamiam iudicii corrupti? negem esse illam rem agitatam in concionibus? iactatam in iudiciis? commemoratam in senatu? Evellam ex animis hominum tantam opinionem? tam penitus insitam? tam vetustam? Non est nostri ingenii: vestri auxilii est, iudices, huius innocentiae sic in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima flamma atque in communi
incendio subvenire. Etenim sicut aliis in locis pa- 2
rum firmamenti et parum virium veritas habet, 5
sic in hoc loco falsa invidia imbecilla esse debet. Dominetur in concionibus, iaceat in iudiciis: valeat in opinionibus ac sermonibus imperitorum, ab ingeniis prudentium repudietur: vehementis habeat repentinos impetus, spatio interposito et causa cognita consenescat. Denique illa definitio iudiciorum aequorum, quae nobis a maioribus tradita est, retineatur, ut in iudiciis et sine invidia culpa
plectatur, et sine culpa invidia ponatur. Quam- 6

7. negem illam

1. alteram partem sic *αε* 3. enim] civis *bq* 4. ac talium *n* 6. illam *om. Quinct. IX.* 2, 19. 7. esse *om. ab iqwαεηκλμνξ seqq.* 9. evellere *νξ* 11. *prius* est *om. Quinct. IX.* 3, 81. 13. perniciosa *aeghmov* 14. in *om. hiklrstuv* 15. veritas *ABC abchikmnopqrstuvw·αλξ seqq.* falsitas *def gl γδεζηικμν* 16. imbecillis *αε* 19. prudentum *rstu* vehementis *AB* vehementes *RO* vehemens *ς* 20. repentinosque *A (corr.) acdefghmno δεζ* 24. puniatur *ABnqv* flectatur *a*

obrem a vobis, iudices, antequam de ipsa causa dicere incipio, haec postulo: primum id, quod aequissimum est, ut ne quid huc praeiudicati afferatis: etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen iudicum amittemus, nisi hic ex ipsis causis iudicabimus, si ad causas iudicia iam facta domo deferemus. Deinde si quam opinionem iam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si oratio labefactabit, si denique veritas extorquebit: ne repugnetis, eamque animis vestris aut libentibus aut aequis remittatis. Tum autem, quum ego unaquaque de re dicam et diluam, ne ipsi, quae contraria sint, taciti cogitationi vestrae subiiciatis, sed extremum exspectetis, meque meum dicendi ordinem servare patiamini: quum peroraro, tum, si quid erit praeteritum, animo requiratis.
3 Ego me, iudices, ad eam causam accedere, quae
7 iam per annos octo continuos ex contraria parte audiatur, atque ipsa opinione hominum tacita prope convicta atque damnata sit, facile intelligo: sed si quis mihi deus vestram ad me audiendum benevolentiam conciliarit, efficiam profecto, ut in-

6. ac si ad 13. sunt 14. sed ad extremum et me

1. iudicibus *abcας* 2. haec] hoc *abcfkqαεκλμ* 3. huc] huic *ABbcmoαμ* 6. si ad *ABb (corr.)* ac si ad *RO* 7. referemus *AB hmv* deferimus *α* 9. oratio *ABCb (corr.) codd. Lambini et S. Victoris ξϱστ* ratio *R edd. ante ξ et οπ* si eam oratio convellet, si ratio lab. *κ* 10. impugnetis *bcq* que *om. bceiq* iubentibus *A (pr. m.)* 13. sint *AC* sunt *RO om. B.* 14. sed extremum *AB* sed ad extr. *RO* meque *C* me *AB* ut me *n* et me *RO* 15. peroraro, tum *AC moκλνξ vulg.* per... tum *B* peroratum erit *defirsγδζ* peroratum fuerit *bcqαγεηθιμ* peroraro *apst* peroratum *ς* 16. animo] a me *bcruwκλμνξοπϱσ* 19. auditur *ab cqαεζς* opinionibus *B* 20. coniuncta *Aoα* convincta *Bdefg* 21. si qui *ABCτ* 22. benivolentiam *II (ubique) αδεζ*

telligatis, nihil esse homini tam timendum, quam invidiam; nihil innocenti, suscepta invidia, tam optandum, quam aequum iudicium, quod in hoc uno denique falsae infamiae finis aliquis atque exitus reperiatur. Quamobrem magna me spes tenet, si, quae sunt in causa, explicare atque omnia dicendo consequi potuero, hunc locum consessumque vestrum, quem illi horribilem A. Cluentio ac formidolosum fore putaverunt, eum tandem eius fortunae miserae multumque iactatae portum ac perfugium futurum. Tametsi permulta sunt, quae 8
mihi, antequam de causa dico, de communibus invidiae periculis dicenda esse videantur, tamen, ne diutius oratione mea suspensa exspectatio vestra teneatur, aggrediar ad crimen cum illa deprecatione, iudices, qua mihi saepius utendum esse intelligo, sic ut me audiatis, quasi hoc tempore haec causa primum dicatur, sicuti dicitur; non quasi saepe iam dicta et numquam probata sit. Hodierno enim die primum veteris istius criminis diluendi potestas est data: ante hoc tempus error in hac causa atque invidia versata est. Quamobrem dum multorum annorum accusationi breviter dilucideque respondeo, quaeso, ut me, iudices, sicut facere instituistis, benigne attenteque audiatis.

6. si ea quae 12. dicam

3. iudicium *h. l. deficit C* 4. uno *om. α ν ξ* aliqui *B p* 5. tenuit *α* 6. si quae *A B* si ea quae *R O* 7. potero *α* 8. ac] atque *B* et *α ε* 9. fore] esse *α* 11. futurum *om. α* 12. de causa *om. a b c i q α ς* dico *A B d e f g h k l n o p r s t u v δ ζ* dicam *a b c m q w α ε ι κ λ μ ν ξ vulg.* dicam dico *i* 15. ad crimen *om. n* 16. qua] quod *n* 17. sic *om. κ* 18. dicitur] dicatur *A B* 20. ipsius *A B* 23. accusationi] actioni *α* 24. sicut *A B* sicuti *R O* 25. audiatis] advocati *n*

4 Corrupisse dicitur A. Cluentius iudicium pe-
9 cunia, quo inimicum innocentem, Statium Albium, condemnaret. Ostendam, iudices, primum, quoniam illius caput atrocitatis atque invidiae fuit, innocentem pecunia circumventum, neminem umquam maioribus criminibus, gravioribus testibus esse in iudicium vocatum; deinde ea de eo praeiudicia esse facta ab ipsis iudicibus, a quibus condemnatus est, ut non modo ab iisdem, sed ne ab aliis quidem ullis, absolvi ullo modo posset. Quum haec docuero, tum illud ostendam, quod maxime requiri intelligo, iudicium illud pecunia esse tentatum non a Cluentio, sed contra Cluentium; faciamque, ut intelligatis, in tota illa causa quid res ipsa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflarit.

10 Primum igitur illud est, ex quo intelligi possit, debuisse Cluentium magno opere causae confidere, quod certissimis criminibus et testibus fretus ad accusandum descenderit. Hoc loco faciendum mihi, iudices, est, ut vobis breviter illa, quibus Albius est condemnatus, crimina exponam. Abs te peto, Oppianice, ut me invitum de patris tui causa dicere existimes, adductum fide atque officio

2. inimicum suum inn. 4. caput illius 22. condemnatus est

2. inimicum innocentem *AB* inim. suum innoc. *RO* Albinum *n α* 3. primum, iudices *ε* 4. illius caput *AB* caput illius *RO* invidiae atque atroc. *n* 5. umquam *om. α* 7. in iud. esse voc. *α ε* 8. a quibus *om. κ* 10. possit *α* 11. haec] hoc *α ε* istud *α ε* 12. temptatum *A* contemptum *B* corruptum *b c q* tantum *κ* 14. que *om. a b c q α ς* 15. affixerit *α* 17. est] erit *a α ε η ν ξ* 22. Albinus *A* Albinius *n* est condemnatus *Π δ ζ μ* est cond. *α ε κ λ ν ξ vulg.*

defensionis. Etenim tibi si in praesentia satisfacere non potuero, tamen multae mihi ad satisfaciendum reliquo tempore facultates dabuntur: Cluentio, ni nunc satisfecero, postea mihi satisfaciendi potestas non erit. Simul et illud quis est, qui dubitare debeat, contra damnatum et mortuum pro incolumi et pro vivo dicere: quum illi, in quem dicitur, damnatio omne ignominiae periculum iam abstulerit, mors vero etiam doloris; hic autem, pro quo dicimus, nihil possit offensionis accipere sine acerbissimo animi sensu ac molestia et sine summo dedecore vitae et turpitudine? Atque, ut in- 11
telligatis, Cluentium non accusatorio animo, non ostentatione aliqua aut gloria adductum, sed nefariis iniuriis, quotidianis insidiis, proposito ante oculos vitae periculo, nomen Oppianici detulisse, paulo longius exordium rei demonstrandae petam; quod, quaeso, iudices, ne moleste patiamini. Principiis enim cognitis, multo facilius extrema intelligetis.

A. Cluentius Habitus fuit pater huiusce, iudi- 5
ces, homo non solum municipii Larinatis, ex quo erat, sed etiam regionis illius et vicinitatis virtute,

4. nisi 7. et vivo 9. huic autem 10. dicitur accedere 11. ac dolore 12. ac turp. 17. repetam 21. Avitus

1. satisfacere *om. AB* 4. ni *AB* nisi *RO* 7. et pro vivo *ABdefghnoprstuδζ* et vivo *Rαεκλμνξ vulg.* 9. adtulerit *n* doloris] dolorem *coni. apud Lamb.* 9 et 10. hic-dicimus-accipere *AB* huic-dicitur-accedere *RO* accidere *ξ* 11. molestia *ABb (corr.)* dolore *RO* 12. et *AB* ac *RO* 14. adductum *om. B* 17. rei demonstr. exord. *n* exordium causa rei *αβεη* petam *Παβγδεζη* repetam *θικλμνξ vulg. Quinct. IV.* 1. 21. Habitus *Π* (Abitus *bciα*) *βγδεζηθικλμν* Avitus *ξ et seqq. (sic fere ubique)* iudices *om. B* 23. etiam] et *acdefgυrαες* vicinitatis] in civitatis *α*

existimatione, nobilitate facile princeps. Is quum esset mortuus, Sylla et Pompeio Consulibus, reliquit hunc, annos quindecim natum, grandem autem et nubilem filiam: quae brevi tempore post patris mortem nupsit A. Aurio Melino, consobrino suo, adolescenti in primis, ut tum habebatur, inter suos et honesto et nobili.
12 Quum essent hae nuptiae plenae dignitatis, plenae concordiae, repente est exorta mulieris importunae nefaria libido, non solum dedecore, verum etiam scelere coniuncta. Nam Sassia, mater huius Habiti, mater enim a me in omni causa, tametsi in hunc hostili odio et crudelitate est, mater, inquam, appellabitur: neque umquam illa ita de suo scelere et immanitate audiet, ut naturae nomen amittat: quo enim est ipsum nomen amantius indulgentiusque maternum, hoc illius matris, quae multos iam annos, et nunc quum maxime filium interfectum cupit, singulare scelus maiore odio dignum esse ducetis. Ea igitur mater Habiti, Melini illius adolescentis, generi sui, contra quam fas erat, amore capta, primo, neque id ipsum diu, quoquo modo poterat, in illa cupiditate continebatur, deinde ita flagrare

12. nominis causa

1. aestimatione *z μ* facile *om. AB* 2. mortuus esset *b c q* Sylla *ABnp αδζλμνξ* Silla *i* Sulla *R vulg* 4. nobilem *npα* 5. mortem patris *abcqαε* 7. hae] eae *A* 10. coniuncta *Π (praeter αο) αβγδεζηικλξρστς* convincta *αοπ* convinctam *o* convicta *θμν* 12. in omni causa *AB cod. Lamb. ξ* nominis causa *RO praeter ξ et σ, qui haec verba eiecit* 14. ulla *α* ita *om. abcdefghmpαδεζ* 16. est *om. ahiklmoprstuαοπρσ* 18. cupiat *defghknorstuvδζ* capiat *m* 19. ducetis] indicabitis *A* 22. neque] ne *α* quo modo *B* 23. cupiditate] civitate *A* neque in illa *o* in illa] nulla *αε* continebat *AB* deinde] demum *bcq*

coepit amentia, sic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiae, non hominum fama, non filii dolor, non filiae maeror a cupiditate revocaret. Animum adoles- 13
centis, nondum consilio ac ratione firmatum, pellexit iis omnibus rebus, quibus illa aetas capi ac deliniri potest. Filia, quae non solum illo communi dolore muliebri in eiusmodi viri iniuriis angeretur, sed nefarium matris pellicatum ferre non posset, de quo ne queri quidem se sine scelere posse arbitraretur, ceteros sui tanti mali ignaros esse cupiebat: in huius amantissimi sui fratris manibus et gremio, maerore et lacrimis consenescebat. Ecce autem subitum divortium; quod solatium malorum omnium fore videbatur. Discedit a Melino Cluentia: ut in tantis iniuriis, non invita: ut a viro, non libenter. Tum vero illa egregia et praeclara mater palam exsultare laetitia, triumphare gaudio coepit, victrix filiae, non libidinis. Itaque diutius suspicionibus obscuris laedi famam suam noluit: lectum illum genialem, quem biennio ante filiae suae nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni, expulsa atque exturbata filia, iubet. Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium.

10. sine scelere se   17. ac praecl.   18. ac triumphare

2. eam pudor *α ε* non pudicitia *om. AB* 3. dolor *A suprascriptio* l. pudor 5. perlexit *p* 6. his *A α ε* ac] et *ε* 7. deleniri *i p* 10. se sine scelere *AB* sine scelere se *RO* sine scelere *om. n* 12. sui amantissimi *b c q* gremio et manibus *b c q* 13. maerore et lacrymis *om. n* 14. malorum] mulierum *i* 16. ut a] at a *h i n o p r t v* ac a *α* 17. et *A B b c q α ε* ac *R vulg.* 18. laetitia, triumphare *AB* laet. ac triumph. *R O* 19. nutrix *α* Itaque *om. AB* 23. et] atque *n* 24. auspiciis *A a b m n o v ϑ ι ϰ μ* 25. ominibus omnium *A B a c f g h ι μ ν ξ ο σ τ* *Quinct. IV.* 2, 121.

6
15 O mulieris scelus incredibile, et praeter hanc, unam in omni vita inauditum! o libidinem effrenatam et indomitam! o audaciam singularem! Nonne timuisti, si minus vim deorum hominumque famam, at illam ipsam noctem facesque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiae? non parietes denique ipsos, superiorum testes nuptiarum? Perfregit ac prostravit omnia cupiditate ac furore: vicit pudorem libido, timo-
16 rem audacia, rationem amentia. Tulit hoc commune dedecus familiae, cognationis, nominis graviter filius: augebatur autem eius molestia quotidianis querimoniis et assiduo fletu sororis: statuit tamen nihil sibi in tantis iniuriis ac tanto scelere matris gravius esse faciendum, quam ut illa ne uteretur: nam quae videre sine summo animi dolore non poterat, ea, si matre uteretur, non solum videre, verum etiam probare suo iudicio putaretur.

4. non timuisse 15. *om.* esse illa matre ne 16. ne quam videre 18. sed etiam

omnibus omnium *dprstuvλ* hominibus omnium *n* omnibus ominum *o* omnibus omnium *ϰ* criminibus omnium *bcq* ominibus *δεζηπ* omnibus *αβ* omnibus hominibus hominum *i* omnibus omnium ominibus *γ* ominibus omnium omnibus *ϱ* 1. muliebre *a* hanc causam unam *AB* 4. nonne *ABdefghilmnorstuς* non me *p* non *abcqO* timuisti *ABfghilmno* timuisse *RO* 6. non] nonne *n* cubiculi] cubilis *Baf* 9. ac] et *adefghiklpstuvαε* timorem] amorem *α* 10. Non tulit *aiprstuw cod. Dresd. Franc.* 1. *α* nam tulit *bcq* 11. dedecus commune *αβε* dedecus familiae *ABhnovηπσ Fr.* dedecus iam fam. *R rell. edd.* 12. angebatur *i* modestia *Bi* 15. esse faciendum *ABb (corr.) ξ* faciendum *RO praeter ξ* ut *om.* *α* illa ne *AB* illa matre ne *RO* 16. nam quae] namque *AB* ne quae *ex Garatonii coniectura στ* ne quam *RO praeter στ* 17. ne ea *B* si] sine *α* 18. verum *AB* sed *RO (om. λ.)* 19. putaretur] videretur *drstu*

Initium quod huic cum matre fuerit simulta-
tis, audistis. Pertinuisse hoc ad causam, tum,
quum reliqua cognoveritis, intelligetis. Nam illud 17
me non praeterit, cuiuscunquemodi sit mater,
tamen in iudicio filii de turpitudine parentis dici
vix oportere. Non essem ad ullam causam idoneus,
iudices, si hoc, quod in communibus hominum
sensibus atque ipsa natura positum atque infixum
est, id ego, qui ad hominum pericula defendenda
adiungerer, non viderem. Facile intelligo, non
modo reticere homines parentum iniurias, sed etiam
animo aequo ferre oportere. Sed ego ea, quae
ferri possunt, ferenda: quae taceri, tacenda esse
arbitror. Nihil in vita vidit calamitatis A. Cluen-
tius, nullum periculum mortis adiit, nihil mali
timuit, quod non totum a matre esset conflatum et
profectum. Quae hoc tempore sileret omnia, atque 18
ea, si oblivione non posset, tamen taciturnitate sua
tecta esse pateretur: sed vero sic agitur, ut pror-

4. cuiusmodicunque mater sit 8. in ipsa 9. quum ad amici per. depellenda adhiberer 19. sed ea vero sic agit

quum illa verba gravissima ex intimo artificio deprompsisset: *Respicite, iudices, hominum fortuñas, respicite dubios variosque casus, respicite C. Fabricii senectutem:* quum hoc, *Respicite*, ornandae orationis causa saepe dixisset, respexit ipse; at C. Fabricius a subselliis, demisso capite, discesserat. 59
Hic iudices ridere; stomachari atque acerbe ferre patronus, causam sibi eripi, et se cetera de illo loco, *Respicite iudices*, non posse dicere: nec quidquam propius est factum, quam ut illum persequeretur et collo obtorto ad subsellia reduceret, ut reliqua posset perorare. Ita tum Fabricius, primum suo iudicio, quod est gravissimum, deinde legis vi et sententiis iudicum est condemnatus. 22

Quid est, quod iam de Oppianici persona causaque plura dicamus? Apud eosdem iudices reus est factus, quum his duobus praeiudiciis iam damnatus esset; ab iisdem autem iudicibus, qui Fabriciorum damnatione de Oppianico iudicarant, locus ei primus est constitutus; accusatus est criminibus gravissimis, et iis, quae a me breviter dicta sunt, et praeterea multis, quae ego omnia

15. de Oppianici causa plura

1. illa *om.* α 2. iudices, hom. fort. resp. *om.* *AB* 3. Fabrici *p* 5. ipse *om.* *B* 7. Hic] hoc αε riderunt *A* 11. ad] a *B* 12. Ita tum *ABb (corr.)* cod. *S. Vict. mg. Reg. ap. Lallemand.* κϱστ iam tum *R rell. edd.* 13. primo *A* 14. est] esset αε 15. persona causaque *AB* cod. *S. Vict.* causa *RO* 17. his *AB* *abcdeghlmpqrsuvw*αεπ iis *i*ξτ is *fkno rell. edd.* 18. isdem *Bbc* 21. et *om.* *defghiklmnov*βγδεζηθικλμνξ iis quae] usque *v* iisque *abcpqrstuw* *ad voc.* breviter *haec adscripta leguntur in abcpqrstu cod. Dresd. Francii secundo,* π *et* ς: bene „breviter" ut quum omnia paene dixerat (dixerit ς dixere α dixe *p*) multa adhuc sibi reservasse videatur a me *om.* ε

nunc omitto: accusatus est apud eos, qui Scamandrum, ministrum Oppianici, C. Fabricium, con-
60 scium maleficii, condemnarant. Utrum, per deos immortalis! magis est mirandum, quod is condemnatus est, an quod omnino respondere ausus est? Quid enim illi iudices facere potuerunt? qui si innocentis Fabricios condemnassent, tamen in Oppianico sibi constare et superioribus consentire iudiciis debuerunt. An vero illi sua per se ipsi iudicia rescinderent, quum ceteri soleant in iudicando ne ab aliorum iudiciis discrepent, providere? et ii, qui Fabricii libertum, quia minister in maleficio fuerat; patronum, quia conscius esset, condemnassent, ipsum principem atque architectum sceleris absolverent? et qui ceteros, nullo praeiudicio facto, tamen ex ipsa causa condemnassent, hunc, quem bis iam condemnatum acceperant,
61 liberarent? Tum vero illa iudicia senatoria non falsa invidia, sed vera atque insigni turpitudine notata, atque operta dedecore et infamia defensioni locum nullum reliquissent. Quid enim tandem illi iudices responderent, si quis ab iis quaereret: Condemnastis Scamandrum: quo crimine?

1. qui et Scam. 2. et Fabricium 12. et illi 13. *om.* esset 17. bis condemnatum iam

1. nunc *om. B* nunc ego omnia *A* qui Scamandrum *ABbcdefghiklmnopqrstuvδζ* qui et Scam. *R vulg.* 2. C. Fabricium*AB* Fabricium *bcdefghiklmnopqrstuvwαδεζ* et Fabricium a *rell. edd.* 8. consentire] consistere *abcpqrstuwας* constare *defghiklmno* 9. illa *bo* per se *om. ξ* ipsi *om. ν* 10. perscinderent *B* perscinderunt *A* 12. ii *ABghilrstu* hi *defkno* illi *RO* 13. esset *add. ex AB* 17. iam condemnatum *AB* cond. iam *RO* 20. operata *aprstuw* cooperta *mg. ed.* 1584. *Graev. var. lect.* 22. responderunt *A* si qui *ABprstu* ab his *A*

nempe quod Habitum per servum medici veneno necare voluisset. Quid Habiti morte Scamander consequebatur? nihil: sed administer erat Oppianici. Et condemnastis C. Fabricium: quid ita? quia, quum ipse familiarissime Oppianico usus, libertus autem eius in maleficio deprehensus esset, illum expertem eius consilii fuisse non probabatur. Si igitur ipsum Oppianicum bis suis iudiciis condemnatum absolvissent, quis tantam turpitudinem iudiciorum, quis tantam inconstantiam rerum iudicatarum, quis tantam libidinem iudicum ferre potuisset?

Quodsi hoc videtis, quod iam hac omni ora- 62
tione patefactum est, illo iudicio reum condem-
nari, praesertim ab iisdem iudicibus, qui duo prae-
iudicia fecissent, necesse fuisse: simul illud videa-
tis necesse est, nullam accusatoris esse causam po-
tuisse, cur iudicium vellet corrumpere. Quaero 23
enim abs te, T. Acci, relictis iam ceteris argumentis omnibus, num Fabricios quoque innocentis condemnatos existimes; num etiam illa iudicia pecunia corrupta esse dicas; quibus in iudiciis alter a Staieno solo absolutus est, alter etiam ipse se condemnavit. Age, si nocentis, cuius

4. *om.* Et 17. accusatori causam esse 22. *om.* in

1. servom *B* 2. quid] quod *prt* 3. at minister *cod. Francii, 3 Palatini αβε* sed minister *ν* 4. et condemnastis *ABcv* condemn. *RO* 6. deprensus *B* esset] erat *defghiklmnorstuvδζ* 7. fuisse *om. B* probatur *Bacqκλ* 8. bis] his *α* 11. iudicium *Bc* 13. in hac omni *η* hac ab omni *ν* 17. accusatoris *ABa* accusatori *RO* esse causam *AB* causam esse *RO* 19. abs te] de te *A* T.] Tib. *p* Acci *A cod. Francii αε (constanter: cf. lapis Pisauriensis n 131.)* Acti *abchiqvxμνξ* Ati *λ* Atti *R vulg. (sic fere ubique)* 22. in *add. ex ABb (corr.)* 23. Scaieno *AB* Scageno *prstu* 24. age si nocentis] aies innocentis *AB*

maleficii? numquid praeter venenum quaesitum, quo Habitus necaretur, obiectum est? numquid aliud in illis iudiciis versatum est, praeter hasce insidias Habito ab Oppianico per Fabricium factas? nihil, nihil, inquam, aliud, iudices, reperietis. Exstat memoria: sunt tabulae publicae: redargue me, si mentior: testium dicta recita: doce, in illorum iudiciis quid, praeter hoc venenum Oppianici, non modo in criminis, sed in maledicti loco sit
63 obiectum. Multa dici possunt, quare ita necesse fuerit iudicari; sed ego occurram exspectationi vestrae, iudices. Nam, etsi a vobis sic audior, ut numquam benignius neque attentius quemquam auditum putem, tamen vocat me alio iamdudum tacita vestra exspectatio, quae mihi obloqui videtur: Quid ergo? negasne, illud iudicium corruptum esse? Non nego: sed ab hoc corruptum non esse confirmo. A quo igitur est corruptum? Opinor, primum, si incertum fuisset, quisnam exitus illius iudicii futurus esset, verisimilius tamen esset, eum potius corrupisse, qui metuisset, ne ipse condemnaretur, quam illum, qui veritus esset, ne alter absolveretur: deinde quum esset non dubium, quid iudicari necesse esset, eum certe potius, qui sibi

4. Fabricios 16. esse corruptum 23. nemini dubium

1. praeter] praeturae *α* 3. illins *B* 4. Fabricium *AB* Fabricios *RO* 5. *alterum* nihil *om.* *bcdefghiklmnovαγδεζηι* inquam] umquam *H praeter AB; αγδεζη* exstant memoriae *defghiklmnoprstuvδζς* 9. locum *AB* 12. nam etsi] nam si *H praeter AB; αδεζ* 16. negatne *B* corruptum esse *AB* esse corruptum *RO* 20. verisimile *α* esse *cj Ernest.* 22. ille *AB* 23. non *AB* nemini *R O* quid] quod *abcdefghq rstuvxμ*

alia ratione diffideret, quam eum, qui omni ratione confideret: postremo, certe potius illum, qui bis apud eos iudices offendisset, quam eum, qui bis causam iis probavisset. Unum quidem certe 64
nemo erit tam inimicus Cluentio, qui mihi non concedat: si constet, corruptum illud iudicium esse, aut ab Habito, aut ab Oppianico esse corruptum. Si doceo, non ab Habito, vinco ab Oppianico: si ostendo, ab Oppianico, purgo Habitum. Quare etsi satis docui, rationem nullam huic corrumpendi iudicii fuisse: ex quo intelligitur, ab Oppianico esse corruptum; tamen de illo ipso separatim cognoscite. Atque ego illa non argumen- 24
tabor, quae sunt gravia vehementer: eum corrupisse, qui in periculo fuerit; eum, qui metuerit; eum, qui spem salutis in alia ratione non habuerit; eum, qui semper singulari fuerit audacia. Multa sunt eiusmodi. Verum quum habeam rem non dubiam, sed apertam atque manifestam, enumeratio singulorum argumentorum non est necessaria. Dico C. Aelio Staieno, iudici, pecuniam 65
grandem Statium Albium ad corrumpendum iu-

1. aliqua ratione 5. tam iniquus 6. esse iudicium
11. *om.* iudicii

1. alia *Π praeter l p w; δ ε ζ* aliqua *l p w vulg.* 3. eos] eosdem *ξ* eum] illum *ν ξ* 4. iis *om. A B* bis his causam *α ε* 5. inimicus *A B b c n o q cod. S. Vict. codd. Quinctil. V*, 10. iniquus *R O* 6. iudicium esse *A B* esse iudicium *R O* 7. esse corr. — vinco ab Opp. *om. α* 9. ab Oppianico *ante* purgo *om. A B* 11. iudicii *add. ex A B b (corr.)* 14. eum *om. B b* 17. singulari] gloriari *α* 18. habes *A B* 21. Dic *a p r s t u α* C. Aelio] Caelio *a b c d e f g h m n o p r s t u v δ ζ om. q* Staieno *A B (hinc constanter)* Scaleno *a b c q* Satageno *d e f g p r s t u*

dicium dedisse. Num quis negat? Te, Oppianice, appello; te, Acci: quorum alter eloquentia damnationem illam, alter tacita pietate deplorat. Audete negare, ab Oppianico Staieno iudici pecuniam datam, negate, inquam, in eo loco. Quid tacetis? An negare non potestis, quod repetistis, quod confessi estis, quod abstulistis? Quo tandem igitur ore mentionem corrupti iudicii facitis, quum ab ista parte iudici pecuniam ante iudicium datam, post
66 iudicium ereptam esse fateamini? Quonam igitur haec modo gesta sunt? Repetam paullo altius, iudices, et omnia, quae in diuturna obscuritate latuerunt, sic aperiam, ut ea cernere oculis videamini. Vos quaeso, ut adhuc me attente audistis, item, quae reliqua sunt, audiatis. Profecto nihil a me dicetur, quod non dignum hoc conventu et silentio, dignum vestris studiis atque auribus esse videatur.

Nam ut primum Oppianicus ex eo, quod Scamander reus erat factus, quid sibi impenderêt, coepit suspicari: statim se ad hominis egentis, audacis, in iudiciis corrumpendis exercitati, tum autem iudicis, Staieni familiaritatem applicavit.

1. appello, Oppianice 2. te, T. Acci 5. negate, negate inquam quid reticetis? At neg.

1. Oppianice, appello *AB* app. Opp. *RO* 2. Acci *AB* T. Acci *RO* 5. negate, inquam *AB* negate, negate, inq. *RO* inquit *ε* in eo] meo *ABbcdefghrstu* tacetis *Π (praeter n et v, qui verbum om.) αβ (tacitus) γδεζη* reticetis *ϑ et seqq. omnes* 6. An *AB* at *RO* recepistis *himno* 9. datam, post iudicium *om. AB* 10. fatemini *ας* quoniam *Bbcqδ* igitur *om. δζ* 11. sunt gesta *αε* 15. ut item *AB* 19. quod] quo *AB* 23. se applicavit *ABbdefghlnoδεζ*

Ac primum, Scamandro reo, tantum datis mune-
ribus perfecerat, ut eo fautore uteretur cupidiore,
quam fides iudicis postulabat. Post autem quum 67
erat Scamander unius Staieni sententia absolutus,
patronus autem Scamandri ne sua quidem senten-
tia liberatus: acrioribus saluti suae remediis sub-
veniendum putavit. Tum a Staieno, sicut ab ho-
mine ad excogitandum acutissimo, ad audendum
impudentissimo, ad efficiendum acerrimo (haec
enim ille et aliqua ex parte habebat, et maiore
ex parte se habere simulabat,) auxilium capiti ac
fortunis suis petere coepit. Iam hoc non ignoratis, 25
iudices, ut etiam bestiae fame monitae plerumque
ad eum locum, ubi pastae sint aliquando, rever-
tantur. Staienus ille biennio ante, quum causam 68
bonorum Safinii Atellae recepisset, sexcentis milli-
bus nummum se iudicium corrupturum esse dixe-
rat: quae quum accepisset a pupillo, suppressit,
iudicioque facto, nec Safinio, nec bonorum em-
ptoribus reddidit. Quam quum pecuniam profu-
disset, et sibi nihil, non modo ad cupiditates suas,
sed ne ad necessitatem quidem reliquisset: statuit

1. donis datis muneribusque 2. eo auctore 3. quum esset 11. et fortunis 13. fame dominante 14. aliquando sint

1. datis muneribus *AB* donis datis muneribusque *R O* 2. profecerat ξ fautore *AB b (corr.) cod. S. Vict.* auctore *R O* 4. erat *A B* esset *R O* sententia absolutus *om. α* absolutus — — sententia *om. a b c p q r s t u* 6. aptioribus *cod. Fr.* 2. *α β ε η* 7. ab Stai. *A B* 10. ille ex aliqua parte *B* 11. ac *AB* et *RO* 12. non *om. Π praeter AB; α κ* . 13 monitae *ABb (corr.) mg. cod. S. Vict. Ammian. Marc. XIV,* 2. *σ τ* domitae *cj. ap. Lamb.* domante *cj. Gesner.* dominante *R vulg.* 14. sint aliquando (sunt *A*) *ABhv* aliquando sint *RO* 15. quum] quam *Π praeter lw, α* 16. Safini *Π praeter w* Satrini *w* 20. reddit *ε*

ad easdem esse sibi praedas ac suppressiones iudiciales revertendum. Itaque quum Oppianicum iam perditum et duobus iugulatum praeiudiciis videret: promissis suis eum excitavit abiectum, et simul saluti desperare vetuit. Oppianicus autem orare hominem coepit, ut sibi rationem ostende-
69 ret iudicii corrumpendi. Ille autem (quemadmodum ex ipso Oppianico postea est auditum) negavit, quemquam esse in civitate, praeter se, qui id efficere possit. Sed primo gravari coepit, quod aedilitatem se petere cum hominibus nobilissimis, et invidiam atque offensionem timere dicebat; post exoratus, initio permagnam pecuniam poposcit, deinde ad id pervenit, quod confici potuit, H. S. sexcenta quadraginta deferri ad se domum iussit. Quae pecunia simul atque ad eum delata est, homo impurissimus statim coepit in eiusmodi mente et cogitatione versari: nihil esse suis rationibus utilius, quam Oppianicum condemnari; illo absoluto, pecuniam illam aut iudicibus dispertiendam, aut ipsi esse reddendam; damnato, repetiturum esse neminem. Itaque rem excogitat sin-

1. easdem sibi 4. cum suis 5. *om.* autem 15. quadraginta millia

1. esse sibi praedas *A d e f g h k l n o p r s t u v y δ ε ζ η ς* esse praedas *B* sibi praedas *R vulg.* 2. esse revertendum *ξ* 4. suis cum *AB* cum suis *RO* 5. autem *add. ex A B b (corr.)* 10. posset *i ϱ σ τ* 13. exortus *α* 15. H S sexcenta quadraginta *B λ* HS XXXX *A* et sestertia quadraginta millia *p* et sexcenta quadraginta millia *d e g w* et sestertia sexcenta quadraginta millia *R α γ δ ε ζ η ι κ μ ν π* et sestertium — millia *ξ ϱ σ* et HS — millia *τ* 18. cogitatione] cogitare *B* 19. damnari *α ε ς* 21. reddundam *B*

gularem. Atque haec, iudices, quae vera dicuntur a nobis, facilius credetis, si cum animis vestris longo intervallo recordari C. Staieni vitam et naturam volueritis. Nam perinde ut opinio est de cuiusque moribus, ita quid ab eo factum aut non factum sit, existimari potest. Quum esset egens, 26
sumptuosus, audax, callidus, perfidiosus, et quum domi suae miserrimus in locis [et] inanissimis, tantum nummorum positum videret; ad omnem malitiam et fraudem versare mentem suam coepit: „Ego dem iudicibus? mihi ipsi igitur, praeter periculum et infamiam, quid quaeretur? Nihil excogitem, quamobrem Oppianicum damnari necesse sit? quid tandem? nihil enim est, quod fieri non possit. Si quis eum forte casus ex periculo eripuerit, nonne reddendum est? Praecipitantem igitur impellamus, inquit, et perditum prosterna-

1. vere 5. et non 11. Demne iudicibus? mihi igitur ipsi 13. Oppianico 14. qui tandem?

1. vera *AB* vere *RO* 4. proinde ξ 5. cuiuscunque αε aut *AB* et *RO*. 8. miserrimus in locis et inanissimis *Biklmo (si recte enotatum est: de qua re magno opere dubito; nam n, qui ubique fere cum Oxon. o consentit, h. l* miserrimis *exhibet)* γ miserrimis in locis et inanissimis *Adefghnprstuv codd. S. Vict Pal. 6. Lallem.* ξ ο ϱ σ τ miserrimus et inanissimus *abcq* δ ζ ι κ λ μ ν π quum domi miserrimus tantum αβε 10. suam mentem *AB* mentem suam haec secum cogitans coepit *w* α ε ι κ λ μ ν ξ η *hunc locum, teste Orellio, sic exhibet:* quum domi suae miserrimus tantum nummorum pos. vid. ad omnem malitiam et fr. vers. suam mentem in locis et inanissimis coepit: quidni tandem? mihi igitur ipsi — — damnari non necesse sit. Haec secum cogitans, iudices. Nihil enim est, quod fieri non possit. coepit *om. A* 11. Ego dem *Bb (corr.)* α eo ego dem *A (deleta* eo*)* deinde *a* deme *R* ε demne *vulg.* iudices α ε ipsi igitur *AB* igitur ipsi *RO* 12. quaeratur α δ ζ κ μ 13. Oppianicum *AB* Oppianico *RO* 14. quid *AB behm* η qui *RO* non fieri *AB* 15. posset *abcdefghmpqrstuv* α δ ε ζ 16. reddundum *AB*

71 mus." Capit hoc consilii, ut pecuniam quibusdam iudicibus levissimis polliceatur: deinde eam postea supprimat: ut, quoniam gravis homines sua sponte severe iudicaturos putabat, eos, qui leviores erant, destitutione iratos Oppianico redderet. Itaque, ut erat semper praeposterus atque perversus, initium facit a Bulbo, et eum, quod iamdiu nihil quaesierat, tristem atque oscitantem, leviter impellit. „Quid tu?" inquit; „ecquid me adiuvas, Bulbe, ne gratis reipublicae serviamus?" Ille vero, simul atque hoc audivit ne gratis: „Quo voles", inquit, „sequar: sed quid affers?" Tum ei quadraginta millia, si esset absolutus Oppianicus, pollicetur: et eum, ut ceteros appellet, quibuscum loqui consuesset, rogat: atque etiam ipse conditor totius
72 negotii Guttam adspergit huic Bulbo. Itaque minime amarus iis visus est, qui aliquid ex eius sermone speculae degustarant. Unus et alter dies intercesserat, quum res parum certa videbatur: sequester et confirmator pecuniae desiderabatur. Tum appellat hilaro vultu hominem Bulbus, ut placidissime potest: „Quid tu," inquit, „Paete?"

1. consilium 4. hos, qui. 17. is visus est 18. degustarat 21. hilari ut blandissime

1. consilii *ABξ* consilium *R vulg.* 2. postea] potius *α* polliceretur *ς* 3. ut *om. AB* 4. eos *Π praeter mow: δεζ* hos *mow vulg.* 9. quin tum *α* etquid *AB abcefghrstuvα* eo quid *iklw (si recte notatum est)* 11. quo] quod *AB* quae *α* 12. HS XXXX milia *A* 15 atque *om. α* 16. Guctam *Bei* itaque] ita *ες* 17. avarus *ABorstu* iis *ABb (corr.)* is *RO* 18. speculae *AB (fort. ϑ) ικλμνξοπρστ* spe gulae *R αβγδεζμ* degustarant *AB* degustarat *RO* 21. hilari *AB* hilari *RO* 22. placidissime *AB* blandissime *RO* Pete. *AB* Pacete *abchinopqrstuαδζκμ* Facete *defgklε* sibi *om. ς*

(hoc enim sibi Staienus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat, ne, si se Ligurem fecisset, nationis magis, quam generis uti cognomine videretur;) „qua de re mecum locutus es, quaerunt a me, ubi sit pecunia." Hic ille planus improbissimus, quaestu iudiciario pastus, qui illi pecuniae, quam condiderat, spe iam atque animo incubaret; contrahit frontem: (recordamini faciem, atque illos eius fictos simulatosque vultus:) queritur se ab Oppianico destitutum: et, qui esset totus ex fraude et mendacio factus, quique ea vitia, quae a natura habebat, etiam studio atque artificio quodam malitiae condivisset, pulchre asseverat sese ab Opianico destitutum: atque hoc addit testimonii, sua illum sententia, quum palam omnes laturi essent, condemnatum iri.

Manarat sermo in consilio, pecuniae quandam 27
mentionem inter iudices esse versatam. Res ne- 73
que tam fuerat occulta, quam erat occultanda: neque tam erat aperta, quam reipublicae causa aperienda. In ea obscuritate ac dubitatione omnium, Cannutio, perito homini, qui quodam odore suspicionis Staienum corruptum esse sensisset, neque dum rem perfectam arbitraretur, placuit

3. magis suae, quam 13. se ab 15. quam palam

2. aliorum *AB* Aliorum *α* fecisse *B* 3. magis, quam *A B* magis suae, quam *R O* 4. quaerunt] quaesivit *A B* 5. planius *B b c* plane *d e f g h i k m n o v γ δ* plancus *ϑ* 6. judicario *B* 7. spe *om. B* spe atque animo jam *α ε* 12. a] ab *B d g o p r s t u μ* 13. condidisset *A B* sese *A B b (corr.)* se *R O* 14. destinatum *μ* 15. quum *A B a d e f g h k l m n o p r s t u v δ ζ* quam *b c i q w vulg.* 19. occultata *ξ* 20. tam *om. α χ* 21. aperiunda *B* 23. suspicionis odore *α ε* 24. dum] tum *o π*

repente pronuntiari: Dixerunt. Hic tum Oppianicus non magno opere pertimuit. Rem a Staieno
74 perfectam esse arbitrabatur. In consilium erant ituri iudices triginta duo. Sententiis sedecim absolutio confici poterat. Quadragena millia nummum in singulos iudices distributa eum numerum sententiarum conficere debebant, ut ad cumulum, spe maiorum praemiorum, ipsius Staieni sententia septimadecima accederet. Atque etiam casu tum, quod illud repente erat factum, Staienus ipse non aderat. Causam nescio quam apud iudicem defendebat. Facile hoc Habitus patiebatur: facile Cannutius: at non Oppianicus, neque patronus eius L. Quinctius: qui quum esset illo tempore Tribunus plebis, convicium C. Iunio, iudici quaestionis, maximum fecit, ut ne sine Aelio in consilium iretur: quumque id ei per viatores consulto negligentius agi videretur, ipse e publico iudicio ad privatum Staieni iudicium profectus est, et illud pro potestate dimitti iussit:

1. pronuntiare judices. Dixerunt, se id velle Hic 15. eo tempore 16. sine Staieno in

1. pronuntiari *cod. S. Vict. Pall.* 2 *et* 6. *Franc.* 1. pronuntiare *R O* pronunt. dixerunt. Hic *II cod. S Vict. Pall.* 2. 6 *Franc.* 1. *αβγδεζ* judices pronuntiare. Dixerunt se id velle. Hic *ϑικμ* judices pronuntiare. Judices se id velle dixerunt. Hic *λνξ* pronuntiare judici: id se velle dixerunt *η* pronuntiare judices. Dixerunt se id velle *οπϱστ* (*τ inclusa voc.* udices) 5. quadragena millia nummum *defglno αβγδεζητ* XXXX millia nummum *ABabc* DCLX quadragena millia nummum *prstu* sexcenta quadraginta millia nummum *m* HS quadraginta millia nummum *ικμνξ* (*ξ om.* HS) XL *λ* HS DCXL *οπ* HS quadragena *ϱσ* 10. quod] quodam *ABhimux* 12 patiebatur: *h. l. C rursus incipit* 15. illo *ABCbcefghpvαε* eo *R vulg.* 17. Aelio *B* illo *C* Staieno (*cum solita varietate*) *R O* iret *ε* ei] etiam *ς* id ei] idem *α ε* 18. viatores] lictores *d efghiklmrstuv* victores *o* 19. e] a *λμνϱσ*

Staienum ipse ad subsellia adduxit. Consurgitur 75
in consilium, quum sententias Oppianicus, quae tum erat potestas, palam ferri velle dixisset, ut Staienus scire posset, quid cuique deberet. Varia iudicum genera: nummarii pauci: sed omnes irati. Ut qui accipere in campo consuerunt, iis candidatis, quorum nummos suppressos esse putant, inimicissimi solent esse: sic eiusmodi iudices infesti tum reo venerant: ceteri nocentissimum esse arbitrabantur: sed exspectabant sententias eorum, quos corruptos putabant, ut ex iis constituerent, a quo iudicium corruptum videretur. Ecce tibi 28
eiusmodi sortitio fuit, ut in primis Bulbo et Staieno et Guttae esset iudicandum. Summa omnium exspectatio, quidnam sententiae ferrent leves ac nummarii iudices. Atque illi omnes sine ulla dubitatione condemnant. Hic tum iniectus est ho- 76
minibus scrupulus et quaedam dubitatio, quidnam esset actum. Deinde homines sapientes, ex vetere illa disciplina iudiciorum, qui neque absolvere hominem nocentissimum possent, neque eum, de quo esset orta suspicio, pecunia oppugnatum, re illa incognita, primo condemnare vellent; non liquere dixerunt. Nonnulli autem se-

4. deberetur 10. sed spectabant 13. *om.* fuit

4. possit, quod *AB* deberet *AB* deberetur *RO* 6. ut enim qui *ηκλμνξ* consueverunt *wβεζηλξ* 8. esse solent *αε* 9. nocentissimi *Befghiklmvαε* innocentissimum ed. 1584 10. exspectabant *ABCbcξτ* sperabant *defghiklmnorstu* spectabant *R vulg.* 11. corruptos esse putant *C* ex his *defgqrstuαδεζκμ* 12. tibi] ibi *ε* 13. fuit *add. ex AB* 15. ac] et *σ* 19. factum *ABC* et ex *τ* 20. judic. discipl. *αε*

veri homines, qui hoc statuerunt, quo quisque animo quid faceret, spectari oportere, etsi alii pecunia accepta verum iudicabant, tamen nihilo minus se superioribus suis iudiciis constare putabant oportere. Itaque damnarunt. Quinque omnino fuerunt, qui illum vestrum innocentem Oppianicum, sive imprudentia, sive misericordia, sive aliqua suspicione, sive ambitione adducti absolverunt.

77 Condemnato Oppianico, statim L. Quinctius, homo maxime popularis, qui omnis rumorum et concionum ventos colligere consuesset, oblatam sibi facultatem putavit, ut ex invidia senatoria posset crescere, quod eius ordinis iudicia minus iam probari populo arbitrabatur. Habetur una atque altera concio vehemens et gravis: accepisse pecuniam iudices, ut innocentem reum condemnarent, Tribunus plebis clamitabat: agi fortunas omnium dicebat: nulla esse iudicia: qui pecuniosum inimicum haberet, incolumem esse neminem posse. Homines totius ignari negotii, qui Oppianicum numquam vidissent, virum optimum et hominem pudentissimum pecunia oppressum arbitrarentur, incensi suspicione, rem in medium

1. homines hoc statuerunt 2. et, si 9. absolverent

1. homines, qui hoc *ABC τ* homines hoc *RO (praeter τ)* 2. etsi] et si *edd. ante τ* 6. nostrum *ς* 7. impudentia *ABb (corr.) α δ ε ζ* 8. abducti *B cod. S. Vict.* 9 absolverunt *ABC abciqvw α ε* absolverent *R vulg.* 14. possit *AB* 15. jam *om. B (2. m. adscripsit)* 16. atque *om. abcrstuα ε* 17. reum] eum *α* 18. clamabat *C* agi] ei *α* 19. iudicia esse *AB* 22. et hom. pud. *om. B* 23. prudentissimum *abchprstuα γ ε η* oppressum esse arb. *C*

vocare coeperunt et causam illam totam deposcere.
Atque illo ipso tempore in aedis T. Annii, ho- 78
minis honestissimi, necessarii et amici mei, noctu
Staienus accersitus ab Oppianico venit. Jam
cetera nota sunt omnibus: ut cum illo Oppiani-
cus egerit de pecunia: ut ille se redditurum esse
dixerit: ut eorum sermonem omnem audierint
viri boni, qui tum consulto propter in occulto
stetissent: ut res patefacta et in forum prolata,
et pecunia omnis a Staieno extorta atque erepta
sit. Huius Staieni persona, populo iam nota atque 29
perspecta, ab nulla turpi suspicione abhorrebat:
suppressam esse ab eo pecuniam, quam pro reo
pronuntiasset, qui erant in concione, non intel-
ligebant. Neque enim docebantur. Versatam esse
in iudicio mentionem pecuniae sentiebant: inno-
centem reum condemnatum esse audiebant: Sta-
ieni sententia condemnatum videbant: non gratis
id ab eo factum esse, quod hominem norant, iu-
dicabant. Similis in Bulbo, in Gutta, in aliis
nonnullis suspicio consistebat. Itaque confiteor, 79
(licet enim iam impune, hoc praesertim in loco,
confiteri,) quod Oppianici non modo vita, sed
etiam nomen ante illud tempus populo ignotum

9. atque in

3. mei *om.* *λν* noctu] nota *α* 4. accersitus *ABabcprstuακλμ* arcessitus *R* *vulg.* 7. ut eum serm. aud. omnem *C* 8. propter] prope *bcfgαβεηκλμνξοπ* 9. et *ABCabckpqrstuwαεη* atque *R* *vulg.* 10. a *om.* *C* 11. sit *om.* *B* 12. ab *om.* *AB* 13. esse *om.* *B* 14. promisisset *m* 16. sentiebant *cod. Lamb.* .... ebant *prstu* aiebant *α* 17. esse aud — condemnatum *om.* *AB* esse *om* *C* *abcnprstuα* audiebant] videbant *α* 20. Gucta *A* 21. suspicio *h. l.* *deficit* *C*

fuisset: indignissimum porro videretur, circumventum esse innocentem pecunia: hanc deinde suspicionem augeret Staieni improbitas et nonnullorum eius similium iudicum turpitudo: causam autem ageret L. Quinctius, homo quum summa potestate praeditus, tum ad inflammandos animos multitudinis accommodatus: summam illi iudicio invidiam infamiamque esse conflatam. Atque in hanc flammam recentem tum C. Iunium, qui illi quaestioni praefuerat, iniectum esse memini, et illum hominem aedilicium, iam Praetorem opinionibus hominum constitutum, non disceptatione dicendi, sed clamore de foro atque adeo de civitate esse sublatum.

80 Neque me poenitet hoc tempore potius, quam illo, causam A. Cluentii defendere. Causa enim manet eadem, quae mutari nullo modo potest: temporis iniquitas atque invidia recessit, ut, quod in tempore mali fuit, nihil obsit: quod in causa boni fuit, prosit. Itaque nunc quemadmodum audiar, sentio, non modo ab iis, quorum iudicium ac potestas est, sed etiam ab illis quorum tantum

9. *om.* tum 13. sed clamore hominum 15. hoc potius tempore 21. atque potestas

5. L. *om. AB* 6. praeditus *om. AB* inflammandum *iklδζ* 7. commodatus *abιmpqα* illi iudicio invidiam *AB cod. S. Vict. ϑ et vulg.* illi invid. *Rαβγδεζηις* habito illo judicio inv. *cod. Lamb.* summam illam inv. *Pall.* 1. 4. 9. recentem tum *Bdefghiklnoprstuγδζηξ* recentem *abc mgw vulg.* recentem *om. addito* tum *A* 10. esse iniectum *AB* 13. discendi *oprstu* sed clamore *AB* sed clamore hominum *RO* 15. tempore potius *AB* pot. temp. *RO* tempore *om. α* 17. mutari] iuvari *ας* 18. atque] ac *ε* 21. ac *ABdefghpqrstu ς* atque *RO*

est existimatio. At tum si dicerem, non audirer non quod alia res esset: immo eadem; sed tempus aliud. Id adeo sic cognoscite. Quis tum auderet 30
dicere, nocentem condemnatum esse Oppianicum? quis nunc audet negare? Quis tum posset arguere, ab Oppianico tentatum esse iudicium pecunia? quis id hoc tempore infitiari potest? Cui tum liceret docere, Oppianicum reum factum esse tum denique, quum duobus proximis praeiudiciis condemnatus esset? quis est, qui id hoc tempore infirmare conetur? Quare, invidia re- 81
mota, quam dies mitigavit, oratio mea deprecata est, vestra fides atque aequitas a veritatis disceptatione reiecit: quid est praeterea, quod in causa relinquatur?

Versatam esse in iudicio pecuniam, constat: ea quaeritur, unde profecta sit, ab accusatore, an ab reo. Accusator dicit haec: Primum gravissimis criminibus accusabam, ut nihil opus esset pecunia: deinde, condemnatum adducebam, ut ne eripi quidem pecunia posset: postremo, etiamsi absolutus fuisset, mearum tamen omnium fortunarum status incolumis maneret. Quid con-

5. nunc id audet   6. iudicium tentatum esse   22. absolutus esset

1. at] *ac Π (praeter α q) δ ζ*   2. non a *om. A B p* sed quod [illegible] temp. *α ε*   3. agnoscite *d e f g h i k' l m p δ ζ*   5. nunc audet *A B κ λ μ* nunc id audet *R vulg.*   6. tentatum esse iudicium *A B κ λ μ* iud. tent. esse *R vulg.*   8. dicere *α ε*   9. proxumis *B*   11. remota est *δ ε ζ*   16. esse *om. A B*   17. ea] et *α ε ς*   18. au reo *B* an a reo *A α ε*   haec] hoc *α ε* · dicit accusator *A B*   20. pecunia *om. B*   22. fuisset *A B* esset *R O.*

tra reus? Primum, iam multitudinem criminum et atrocitatem pertimescebam: deinde, Fabriciis propter conscientiam mei sceleris condemnatis, me esse condemnatum, sentiebam: postremo, in eum casum veneram, ut omnis mearum fortunarum status unius iudicii periculo contineretur.

82 Age, quoniam corrumpendi iudicii causas ille multas et gravis habuit, hic nullam: profectio ipsius pecuniae requiratur. Confecit tabulas diligentissime Cluentius. Haec autem res habet hoc certe, ut nihil possit neque additum, neque detractum de re familiari latere. Anni sunt octo quum ista causa in ista meditatione versatur, quum omnia, quae ad eam rem pertinent, et ex huius, et ex aliorum tabulis agitatis, tractatis, inquiritis: quum interea Cluentianae pecuniae vestigium nullum invenitis. Quid Albiana pecunia? vestigiisne nobis odoranda est, an ad ipsum cubile, vobis iudicibus, venire possumus? Tenentur uno in loco HS ɪↃᴄxʟ: tenentur apud hominem audacissimum: tenentur apud iudicem.
83 Quid vultis amplius? At enim Staienus non fuit

1. ipsam multitudinem et atrocitatem criminum 14. quae nunc ad 19. vobis ducibus

1. iam *ABb (corr.)* ipsam *RO* criminum et atrocitatem *AB* et atroc. crim. *RO* 4. postremum *adefghmpυαες* 5. omnes *A* 6. continerentur *A* 9. pecuniae a quo requiratur *ς* 10. hic autem habet res obeeratas *A* 11. hoc certe] hac aetate *α* 14. quae ad *AB* quae nunc ad *RO* 15. agitis *adefgiklmnpqrstδζ* 17. Abbiana *A* 18. vobis *λμ* adornanda *α* 19. iudicibus *AB* ducibus *RO* possimus *klo* 20. HS *om. Bcdefghυξ* ᴅᴄ sestertia xʟ millia *βγδεζ* sexcenta quadraginta millia nummum *ϑικλμξ* quadraginta millia nummum *υ* numerus ᴠᴄxʟ nummorum *α* ᴅᴄxʟ] xxxx millia *A* xxxx *B* 22. voltis *AB*

ab Oppianico, sed a Cluentio ad iudicium corrumpendum constitutus. Cur eum, quum in consilium iretur, Cluentius et Cannutius abesse patiebantur? cur, quum in consilium mittebant, Staienum iudicem, qui pecuniam dederant, non requirebant? Oppianicus querebatur? Quinctius flagitabat? sine Staieno ne in consilium iretur, Tribunicia potestate effectum est? At condemnavit. Hanc enim condemnationem dederat obsidem Bulbo et ceteris, ut destitutus ab Oppianico videretur. Quare si istinc causa corrumpendi iudicii, si istinc pecunia, istinc Staienus, istinc denique omnis fraus et audacia est: hinc pudor, honesta vita, nulla suspicio pecuniae, nulla corrumpendi iudicii causa, patiamini, veritate patefacta atque omni errore sublato, eo transire illius turpitudinis infamiam, ubi cetera maleficia consistunt: ab eo invidiam discedere aliquando, ad quem numquam accessisse culpam videtis.

At etenim pecuniam Staieno dedit Oppiani- 31
cus non ad corrumpendum iudicium, sed ad con- 84

5. cui pecuniam 6. Oppianicus quaerebat 8. perfectum est 9. damnationem 12. *om.* si 14. et nulla suspicio 15. patimini

1. a *om.* ε 2. eum] enim *abcpqrstuwα* 4. cur *om.* *abcdefghiklprstuvγδζικλμν* cur] et *αβε* mittebantur *cod. Fr.* 5. qui] cui quod *A* quod *B* cui *RO* 6. requirebantur *defgprstu* quaerebant *A* querebatur *ABbcmoprstuw cod. S. Vict. Pall. plerique ανξ* requirebat *Pal.* 1. quaerebat *R vulg.* 8. effectum *ABdfiorstu cod. Lamb.* confectum *l* perfectum *R O.* 9. condemnationem *ABabcq cod. Lamb.* damnationem *RO* 11. quum istinc est causa *αε* 12. si *add. ex ABb (corr.)* 14. vita, nulla *AB* vita, et nulla *RO* 15. patiamini *ABακλμν* patimini *R vulg.* 18. consistunt *ABδζηξστ* consistant *R cett. edd.*

ciliationem gratiae. Tene hoc, Acci, dicere, tali prudentia, etiam usu atque exercitatione praeditum? Sapientissimum esse dicunt eum, cui, quod opus sit, ipsi veniat in mentem: proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet. In stultitia contra est. Minus enim stultus est is, cui nihil in mentem venit, quam ille, qui, quod stulte alteri venit in mentem, comprobat. Istam conciliationem gratiae Staienus tum recenti re, quum faucibus premeretur, excogitavit, sive, ut homines tum loquebantur, a P. Cethego admonitus [istam dedit conciliationis et gratiae fabulam]. Nam fuisse hunc tum hominum sermonem, recordari potestis: Cethegum, quod hominem odisset et quod eius improbitatem versari in republica nollet, et quod videret, eum, qui se ab reo pecuniam, quum iudex esset, clam atque extra ordinem accepisse confessus esset, salvum esse non posse, minus ei fidele consilium dedisse. In hoc si improbus Cethegus fuit, videtur mihi adversarium removere voluisse. Sin erat eiusmodi causa, ut Staienus nummos se accepisse negare non posset, nihil autem erat periculosius nec turpius, quam, ad quam rem ac-

13. *om.* tum

1. ad conciliationis gratiam *ABb (corr.)* tali etiam pr. ξ 3. sapientissimum etiam *α* dic. esse *αε* 4. proxime] pone *cod. Dresd.* accidere *p* 5. obtemperaret *B* 12. istam — fabulam *om. AB* et *om. Pal.* 1. ξ *spurium censet* τ 13. tum *add. ex AB* 15. odisset] occidisset *λμ* 16. et *om. α* 20. fuit] fuissset *AB* 21. sin erat] inerat *defghiklnopqrstuvwδζ* si inerat *αε* verum inerat *μ* vel adde hic si inerat *(sic) α*

cepisset, confiteri: non est consilium Cethegi reprehendendum. Verum alia causa tum Staieni 86
fuit, alia nunc, Acci, tua est. Ille, quum re premeretur, quodcunque diceret, honestius diceret, quam si, quod erat factum, fateretur: te vero illud idem, quod tum explosum et eiectum est, nunc retulisse demiror. Qui enim poterat tum in gratiam redire cum Oppianico Cluentius? qui cum matre habebat simultates: haerebat in tabulis publicis reus et accusator: condemnati erant Fabricii: nec elabi alio accusatore poterat Albius, nec sine ignominia calumniae relinquere accusationem Cluentius poterat. An ut praevaricare- 32
tur? Iam id quoque ad corrumpendum iudicium per- 87
tinet. Sed quid opus erat ad eam rem iudice sequestre? et omnino, quamobrem tota ista res per Staienum potius, hominem ab utroque alienissimum, sordidissimum, turpissimum, quam per bonum aliquem virum ageretur et amicum necessariumque communem? Sed quid ego haec pluribus, quasi de re obscura disputo, quum ipsa pecunia, quae Staieno data est, numero ac summa sua non modo, quanta fuerit, sed etiam

13. *om.* poterat

3. fuit *om. AB* re premeretur] repremeretur *aprt* reprimeretur *bcqαo* reprehenderetur *defghiklmvβγδεζη* 5. fatetur *A* 6. reiectum *cj. Graev.* 7. detulisse *ABa* rei tulisse *oprstu* re intulisse *defhilmn* te intulisse *q* intulisse *k* qui] quid *AB* 8. gratia *acdefghimprstuv* 9. habebat simultates *om. abcopqrstu Pall. codd. Fr.* 1. *α* 12. Abbius *Ap* 13. poterat *add. ex AB* ut] iis *AB* 14. iam] nam *cj. Pantagathus* 15. quid] quod *AB* 16. sequestri *η* 21. disputo *ABθικλμνξοπϱ* disputem *Rαβγδεζηστ* 23. etiam *om. abcpq*

ad quam rem fuerit, ostendat? Sexdecim dico iudices, ut Oppianicus absolveretur, corrumpendos fuisse: ad Staienum sexcenta quadraginta millia nummum esse delata. Si, ut tu dicis, gratiae conciliandae causa, quadraginta istorum accessio millium quid valet? si, ut nos dicimus, ut quadragena millia sexdecim iudicibus darentur; non Archimedes melius potuit describere.

88 At enim iudicia facta permulta sunt, a Cluentio iudicium esse corruptum. Immo vero ante hoc tempus omnino ista ipsa res süó nomine in iudicium numquam est vocata. Ita multum agitata, ita diu iactata ista res est, ut hodierno die primum causa illa defensa sit, hodierno die primum veritas vocem contra invidiam, his iudicibus freta, miserit. Verumtamen ista multa iudicia quae sunt? Ego enim me ad omnia confirmavi et sic paravi, ut docerem, quae facta postea iudicia de illo iudicio dicerentur, partim ruinae similiora aut tempestati, quam iudicio et disceptationi fuisse, partim nihil contra Habitum valere, partim etiam pro hoc esse, partim esse eius-

1. rem data fuerit 3. et quadraginta 7. millia nummum sexdecim 16. multa ista

1. rem fuerit *ABabcpq codd. Fr. Dresd.* *αβε* rem data fuerit *R vulg.* 3. sexc. quadraginta *AB* sexc. et quadr. *R vulg.* nummum millia *αε* 4. ut tu dicis] ut auditis *codd. Franc. Dresd.* 5. millium accessio *mg. ed.* 1584. 6. sin ut *ξτ* *alterum* ut *om.* *ε* quadragena] quatuor quadraginta *a* cccc *bcq* cc *α* ɪↃcxʟ *ικλ ηνξοπ* 7. millia sexd. *AB* millia nummum sexd. *R O* 13. est ista res *αε* 16. ista multa *ABbcqαεκ* multa ista *R vulg.* 17. conformavi *cj. Lamb.* 19. partim ruinae similiora, partim autem tempestati quam iudicio et disceptationi similis *(sic) ABb (corr.)*

modi, ut neque appellata umquam iudicia sint,
neque existimata. Hic ego, magis ut consuetudinem 89
servem, quam quod vos non vestra hoc sponte
faciatis, petam a vobis, ut me, dum de his sin-
gulis disputo iudiciis, attente audiatis. Condem- 33
natus est C. Iunius, qui ei quaestioni praefuerat:
adde etiam illud, si placet: tum est condemna-
tus, quum esset iudex quaestionis. Non modo
causae, sed ne legi quidem quidquam per Tribu-
num plebis laxamenti datum est. Quo tempore
illum a quaestione ad nullum aliud reipublicae
munus abduci licebat, eo tempore ad quaestionem
ipse abreptus est. At quam quaestionem? Vul-
tus enim vestri, iudices, me invitant, ut, quae
reticenda putaram, libeat iam libere dicere. Quid? 90
illa tandem quaestio, aut disceptatio, aut iudici-
um fuit? Putabo fuisse: dicat, qui vult hodie de
illo populo concitato, cui tum populo mos ges-
tus est: qua de re Iunius causam dixerit. Quem-
cumque rogaveris, hoc respondebit, quod pecuniam
acceperit, quod innocentem circumvenerit. Est
haec opinio. At, si ita esset, hac lege accusatum
esse oportuit, qua accusatur Habitus. At ipse ea
lege quaerebat. Paucos dies exspectasset Quinctius.

18. tum mos   20. rogaris

12. adduci *abcdefghmnopqrstuv*   13. arreptus est *bcehiknpqsvαε* arrectus *loδζ* abiectus *w*   at] ad *ABabchqrstu* codd Franc. *α* voltus *ABehpu*   15. putarem *ABadefghiklmpqrstuvαεμ* libeat] iubeant *AB*   17. putavero *η* putato *λμξ*   qui] quid *Bmv*   18. tum populo mos *AB* tum mos *RO*   20. rogaveris *AB* rogaris *RO*   22. lege *om. A*   23. esse] fuisse *defghiklmnopqrstu om. AB.*

At neque privatus accusare, nec sedata invidia volebat. Videtis igitur, non in causa, sed in tempore ac potestate spem omnem accusatoris
91 fuisse. Mulctam petivit. Qua lege? quod in legem non iurasset: quae res nemini umquam fraudi fuit: et quod C. Verres, Praetor urbanus, homo sanctus et diligens, subsortitionem eius in eo codice non haberet; qui tum interlitus proferebatur. His de causis C. Iunius condemnatus est, iudices, levissimis et infirmissimis; quas omnino in iudicium afferri non oportuit. Itaque
34 oppressus est, non causa, sed tempore. Hoc vos
92 Cluentio iudicium putatis obesse oportere? Quam ob causam? Si ex lege subsortitus non erat Iunius, aut si in aliquam legem aliquando non iuraverat; idcirco illius damnatione aliquid de Cluentio iudicabatur? Non, inquit; sed ille idcirco illis legibus condemnatus est, quod contra aliam legem commiserat. Qui hoc confitentur, possunt iidem illud iudicium fuisse defendere? Ergo inquit, idcirco, infestus tum populus Romanus Iunio fuit, quod illud iudicium corruptum per eum

1. sedata iam invidia 15. si in legem 18. his legibus 20. illud iidem idcirco, inquit 21. tum Praetor Junio

1. sedata invidia *AB* sed. iam inv. *RO* 5. iurasset] iura essent *AB* 15. in aliquam legem *AB* in legem *RO* aliquando] iudicando *cj. Pantag. ap. Fulv. Urs.* 16. Cluentio : *h. l. rursus incipit C* 18. illis *ABC* his *RO* aliam] aeliam *A* 20. iidem illud *ABC* (*sed vetere scriptura: idem*) *γδζπτ* illud idem *Rαεη κλμνξ* illud iidem *ρσ* iudicium non fuisse *ϑκλμνξ* inquit, idcirco *ABC* idcirco, inquit *RO* inquit *om. αε* 21. populus Rom. *AB* PR. *Cdghrstx* tr. pl. *bcfmv* praetor *RO*

putabatur. Num igitur hoc tempore causa mutata
est? num alia res, alia ratio illius iudicii, alia
natura totius negotii nunc est, ac tum fuit? Non
opinor ex iis rebus, quae gestae sunt, rem ullam
potuisse mutari. Quid ergo est causae, quod nunc 93
nostra defensio audiatur tanto silentio, tum Iunio
defendendi sui potestas erepta sit? Quia tum in
causa nihil erat, praeter invidiam, errorem, su-
spicionem, conciones quotidianas, seditiose ac po-
pulariter concitatas. Accusabat Tribunus plebis
idem in concionibus, idem ad subsellia: ad iudi-
cium non modo de concione, sed etiam cum ipsa
concione veniebat. Gradus illi Aurelii tum novi,
quasi pro theatro illi iudicio aedificati videban-
tur: quos ubi accusator concitatis hominibus com-
plerat, non modo dicendi ab reo, sed ne surgendi
quidem potestas erat. Nuper apud C. Orchivium, 94
collegam meum, locus ab iudicibus Fausto Syllae
de pecuniis residuis non est constitutus: non quo
illi aut exlegem esse Syllam, aut causam pecu-
niae publicae contemptam atque abiectam puta-
rent; sed quod, accusante Tribuno plebis, condi-
tione aequa disceptari posse non putarunt. Quid?

6. tunc. 17. C. Orchinium.

3. natura *om.* *C* 4. iis] his *ABabcquαε* is *fhp* gestae] dictae *αε*. 6. tum *AB* tunc *RO* 9. sediliones *AB*. 17. C. Orchivium *ABb (corr.) Pal.* 2. *α* C. Orchium *C*. C. Archivium *o* Corinthium *m* C Orchinium *R vulg.* 19. residuis] repetundis *ABb (corr.)* est *om.* *ε* quo] quod *C*. *Priscian*, *p*. 725. P. ξτ 20. exlege *αες* 21. contemptam abiectum *(sic) C* obiectam *Ao* putarent] arbitrentur *Prisc.* 23. posse] publice *AB* posse populum r. (*i. e.* Rom.) non *defghikmv* non *om.* *norstu* putarunt *AB* putarent *ϱ* putabant *σ* putaverunt *R vulg.*

conferam Syllamne cum Iunio? an hunc Tribu num plebis cum Quinctio? an vero tempus cur tempore? Sylla maximis opibus, cognatis, affin bus, necessariis, clientibus plurimis: haec au tem apud Iunium parva et infirma et ipsius la bore quaesita atque collecta. Hic Tribunus ple bis modestus, pudens, non modo non seditiosus sed etiam seditiosis adversarius: ille autem acer bus, criminosus, popularis homo ac turbulentus Tempus hoc tranquillum atque placatum: illud omnibus invidiae tempestatibus concitatum. Quae quum ita essent, in Fausto tamen illi iudices sta- tuerunt, iniqua conditione reum causam dicere, quum adversario eius ad ius accusationis summa
35 vis potestatis accederet. Quam quidem rationem
95 vos, iudices, diligenter, pro vestra sapientia et hu- manitate, cogitare et penitus perspicere debetis, quid mali, quantum periculi unicuique nostrum inferre possit vis tribunicia, conflata praesertim invidia et concionibus seditiose concitatis. Opti- mis hercule temporibus, tum, quum homines se

10. ac pacatum 21. hercle

4. cluentibus *p* autem] tum ς 7. prudens *ABCabcdefghmnopqrstuvwyδεζηθκμο* non sed] nunc sed. *B* 8. acerbus] acerrimus *cod. Fr. αε* 10. atque *ABCdefgilprtuyδεζξ* ac *R vulg.* placatum *AB* pacatum *RO* 12. tamen *h. l. desinit C* tamen illi iudices stat. *A (de codd. Florentinis h. l. incertus sum, quum ad editionem Garatonii, quae vv.* illi iudices *omittit, nihil adnotatum sit) iklmno (ut videtur) βγδεζηκλμνξορσ* tamen statuerunt *cod. S. Vict. Pall.* 6. *Fr.* 1. 2. *Dresd. απς:τ uncis inclusit vv.* illi iudices. 14. quum adv. — accederet *om. α* 15. ad quam quidem *αε* 16. et humanitate *om AB* 18. vestrum *ABabcfqα* 21. hercule *ABabcdefghiklvrstuαγδεζη* hercle *B vulg.*

non iactatione populari, sed dignitate atque innocentia tuebantur, tamen nec P. Popilius neque Q. Metellus, clarissimi viri atque amplissimi, vim tribuniciam sustinere potuerunt: nedum his temporibus, his moribus, his magistratibus, sine vestra sapientia ac sine iudiciorum remediis, salvi esse possimus. Non fuit igitur illud iudicium iu- 96
dicii simile, iudices, non fuit; in quo non modus ullus est adhibitus, non mos consuetudoque servata, non causa defensa. Vis illa fuit, et, ut saepe iam dixi, ruina quaedam atque tempestas, et quidvis potius, quam iudicium aut disceptatio aut quaestio. Quodsi quis est, qui illud iudicium fuisse arbitretur, et qui his rebus iudicatis standum putet: is tamen hanc causam ab illa debet seiungere. Ab illo enim, sive quod in legem non iurasset, sive quod ex lege subsortitus iudicem non esset, multa petita esse dicitur. Cluentii autem ratio cum illis legibus, quibus a Iunio multa petita est, nulla potest ex parte esse coniuncta. At 97
enim etiam Bulbus est condemnatus. Adde, maiestatis: ut intelligas, hoc iudicium cum illo non

2. Popillius nec 3. atque amplissimi viri 8. modus est habitus 21. *om.* enim.

2. P.] *L. AB* C. *R edd. ante Graevium* Popilius *Παδεζκμν* Popillius *vulg.* neque *AB* nec *RO* 3. viri atque ampl. *AB* atque ampl. viri *RO* 4. potuerunt] valuerunt *αε* 6. ac iudiciorum *(om. sine) abcmqwαικλμνοπ* 7. non igitur fuit *αε* illud igitur *AB* 9. ullus *add. ex AB.* adhibitus *ABklmnοικλνξο* habitus *R vulg.* 12. aut] atque *B* 14. arbitraretur *ABabcdefghiklnprstuvwα* 16. enim sibi sive *B* 17. e lege *AB* 18. Cluenti *B* autem] tamen *ς* tum *α* 21. enim *add. ex AB* etiam] enim *f* *om. hv*

esse coniunctum. At est hoc illi crimen obiectum: Fateor: sed etiam legionem esse ab eo sollicitatam in Illyrico, C. Cosconii litteris et multorum testimoniis planum factum est: quod crimen erat proprium illius quaestionis, et quae res lege maiestatis tenebatur. At hoc obfuit ei maxime. Iam ista divinatio est: qua si uti licet, vide, ne mea coniectura multo sit verior. Ego enim sic arbitror, Bulbum, quod homo nequam, turpis, improbus, multis flagitiis contaminatus in iudicium sit adductus, idcirco facilius esse damnatum. Tu mihi ex tota causa Bulbi, quod tibi commodum
36 est, eligis, ut id esse secutos iudices dicas. Qua-
98 propter hoc Bulbi iudicium non plus huic obesse causae debet, quam illa, quae commamorata sunt[1] ab accusatore, duo iudicia, P. Popilii et Ti. Guttae: qui causam de ambitu dixerunt: qui accusati sunt ab iis, qui erant ipsi ambitus condemnati; quos ego non idcirco esse arbitror in integrum restitutos, quod planum fecerint, illos ob rem iu-[2] dicandam pecuniam accepisse, sed quod iudicibus probaverint, quum in eodem genere, in quo ipsi offendissent, alios reprehendissent: se ad praemia legis venire oportere. Quapropter neminem dubitare existimo, quin illa damnatio ambitus nulla

14. obesse huic 22. probarint, quod in

1. est] etiam *abdefghiklmvα* *om.* *ν* illi hoc *ξ* 3. Cosconi *B* 4. crimen *om B* 9. improbus, turpis *αε* 11. condemnatum *υϑxμ* 14. non magis *αε* huic obesse *ABapqα* obesse huic *R vulg* 16. Ti. *AB Quinct. V.* 10, 108. *σ* L.. *wξ* T. *R vulg.* 19. arbitror esse *αε* 22. probaveriut *AB* probarint *RO* quum *AB defghikmprstuγδζη* quod *B vulg.* 23. defendissent *defghiklmprstuvδζ* deprensi essent *αε* reprehendissent] depreh. *k*

ex parte cum causa Cluentii vestroque iudi-
cio coniuncta esse possit. Quid, quod Staie- 99
nus est condemnatus? Non dico hoc tempore, iu-
dices, id quod nescio an dici oporteat, illum ma-
iestatis esse condemnatum: non recito testimonia
hominum honestissimorum, quae in Staienum
sunt dicta ab iis, qui M. Aemilio, clarissimo viro,
legati et praefecti et tribuni militares fuerunt:
quorum testimoniis planum factum est, maxime
eius opera, quum Quaestor esset, in exercitu se-
ditionem esse conflatam. Ne illa quidem testimo-
nia recito, quae dicta sunt, de HS IↃC; quae
ille quum accepisset nomine iudicii Safiniani, si-
cut in Oppianici iudicio postea, reticuit atque
suppressit. Omitto et haec et alia permulta, quae
illo iudicio in Staienum dicta sunt: hoc dico,
eandem tum fuisse P. et L. Cominiis, equitibus
Romanis, honestis hominibus et disertis, contro-
versiam cum Staieno, quem accusabant, quae nunc
mihi sit cum Accio. Cominii dicebant idem, quod
ego dico: Staienum ab Oppianico pecuniam acce-
pisse, ut iudicium corrumperet: Staienus conci-
liandae gratiae causa accepisse dicebat. Irrideba- 100

5. esse damnatum 14. retinuit 18. honestissimis 20 mihi est 23. se accepisse.

5. condemnatum *AB* damnatum *RO* 7. M.] Mam. *στ ex Manutii coni.* iis] his *ABbcdefghqrt* 8. fuerunt *om. B* 12. de *om. B.* DC] XXXX *AB* XLDC *cdefghrstuvδεζ* DCXL millibus *χλμ* DC millibus *ξ* 14. in *om. AB* reticuit *AB* sustinuit *o* retinuit *RO* 17. L.] C. *Ascon. in arg. Cornel. p.* 92. 18. honestis *ABb (corr.) ξ* honestissimis *R vulg.* 20. sit *AB* est *RO* mihi nunc est *αε* idem] id *ϛες* 23. causa accepisse *AB* causa se accepisse *RO*

tur haec illius reconciliatio, et personâ viri boni
suscepta, sicut in statuis inauratis, quas posuit
ad Iuturnae: quibus subscripsit, REGES A SE IN
GRATIAM ESSE REDUCTOS. Exagitabantur omnes
eius fraudes atque fallaciae: tota vita in eiusmodi
ratione versata aperiebatur: egestas domestica
quaestus forensis in medium proferebatur: num-
marius interpres pacis et concordiae non proba-
batur. Itaque tum Staienus, quum idem defen-
102 deret, quod Accius, condemnatus est. Cominii
quum hoc agerent, quod nos in tota causa egi-
mus, probaverunt. Quamobrem si Staieni damna-
tione, Oppianicum iudicium corrumpere voluisse
Oppianicum iudici ad emendas sententias dedisse pe-
cuniam, iudicatum est; quum ita constitutum sit
uti in illa culpa aut Cluentius sit aut Oppianicus
Cluentii nummus nullus iudici datus ullo vestigi
reperitur; Oppianici pecunia post iudicium factu
ab iudice ablata est: potest esse dubium, qui
illa damnatio Staieni non modo non sit contr
37 Cluentium, sed maxime nostram causam defensi
103 nemque confirmet? Ergo adhuc Iunii iudiciu

3. AB SE 19. a iudice

2. suscepta *h. l. rursus incipit C* 3. Diuturnae *A C a b c d e f h i k l m n o p q r s t u v w* a se *A B b q w α ξ* ab se *R vulg.* eius omnes *A B q s t* 7. medio *a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u v w* praeferebatur *C* nummarius] unde vel aureus *α* 11. tota causa: *hinc deficiunt a b p q r s t u et w quanquam de hoc edd. Oxonn. nihil adnotatum est) Pall. omnes, Fr.* 1. *Dresd. et α u que ad c.* 38. §. 107. non quaerunt; *verum in b et u lacuna a secu da manu expleta est.* 16. in illa] nulla *c d e f g h v* in nulla *i m n δ ε ζ* uti] ut *C* 17. nummos illi datos esse iudici nullo v stigio *cod. Fr. unde Graev. coni.* nummos illi datos esse iudici nul vestigio reperiatur: *et sic σ* 18. reperiatur — ablata sit *ξ σ* re perietur *C τ* 19. ab *C* a *R O* 22. adhaec *d e f g h n o* ad hoc *k l*

video esse eiusmodi, ut incursionem potius seditionis, vim multitudinis, impetum tribunicium, quam iudicium appellandum putem. Quodsi quis illud iudicium appellet, tamen hoc confiteatur necesse est, nullo modo illam multam, quae ab Iunio petita sit, cum Cluentii causa posse coniungi. Illud igitur Iunianum per vim factum est: Bulbi et Popilii et Guttae contra Cluentium non est: Staieni etiam pro Cluentio est. Videamus, ecquod aliud iudicium, quod pro Cluentio sit, proferre possimus.

Dixitne tandem causam C. Fidiculanius Falcula, qui Oppianicum condemnarat, quum praesertim, id quod fuit in illo iudicio invidiosissimum, paucos dies ex subsortitione sedisset? Dixit, et bis quidem dixit. In summam enim L. Quinctius invidiam concionibus eum quotidianis, seditiosis et turbulentis adduxerat. Uno iudicio multa est ab eo petita, sicut ab Iunio, quod non suae decuriae munere, neque ex lege sedisset. Paulo sedatiore tempore est accusatus, quam Iunius, sed eadem fere lege et crimine. Quia nulla in iudicio seditio neque vis nec turba versata est, prima actione facillime est absolutus. Non numero hanc absolutionem. Nihilominus enim potest, ut

5. a Iunio 23. neque turba

3. qui *ABdefgqε* 5. ab *ABC* a *RO* 8. Popilii *ABdefgh υε* Popillii *R vulg.* Guctae *A.* 9. est *om. defghiklnoγδεζηκλμν* 10. etquod *ABcdefghnoυ.* 11. possumus *A.* 12. Fidiculanius *Cλν ξ et seqq.* Fidiculanus *ABcdefghυδεζηκμ (de Oxonn. non constat)* 15. post paucos dies *ικλμν* 18. multa *h. l. C rursus deficit.* 23. nec turba *AB* neque turba *RO*

illam multam non commiserit, accepisse tamen ob rem iudicandam:* capta nusquam Staienus eadem lege dixit. Proprium crimen illud quaestionis
104 eius non fuit. Fidiculanius quid fecisse dicebatur? Accepisse a Cluentio H S cccc. Cuius erat ordinis? Senatorii. Qua lege in eo genere a Senatore ratio repeti solet de pecuniis repetundis, ea lege accusatus, honestissime est absolutus. Acta est enim causa more maiorum, sine vi, sine metu, sine periculo: dicta et exposita et demonstrata sunt omnia. Adducti iudices sunt, non modo potuisse honeste ab eo reum condemnari, qui non perpetuo sedisset, sed, aliud si is iudex nihil scisset, nisi, quae praeiudicia de eo facta esse constarent, audire prae-
38 terea nihil debuisse. Tum etiam illi quinque,
105 qui imperitorum hominum rumusculos aucupati tum illum absolverunt, iam suam clementiam laudari magnopere nolebant: a quibus si qui quaereret, sedissentne iudices in C. Fabricium, sedisse se dicerent: si interrogarentur, num quo

14. si aliud

1. tamen *A Bdηκλμν seqq.* tandem *R βγδεζ* ob rem indican[illegible]dam capta nusquam Staienus eadem lege dixit *ABbefhikno* co[illegible] *S. Vict.* ob r. iud. captam nusquam St. ead. l. d. *cgβγδεζηιτ* o[illegible] b r. iud. pecuniam quam captam nusquam St. *ϑκλμνοπ* ob. r. iud. pecuniam quam Staienus, qui causam nusquam eadem le[illegible]e dixit *ξρ* 3. crimen *om. B.* 4. fecisset *bcdefghiklmno* [illegible] v 5. accepisse a Cluentio HS CCCC *om. Π praeter AB* CCC[illegible] *XLCIↃ ξ* CCC *δεζ* 10. metu *bcfn* sine *ante* periculo *om.* [illegible] 11. prius et *om. Fr.* 1. *π.* adducti *ABεζηκλμξοπ* abdu[illegible] *bcdefghuv* addocti *iγδρστ* 14. aliud si *AB* aliud *b*[illegible] *efghikno* si aliud *RO* 15. constaret *ξ* 17. ii peritor[illegible] *cdefginov.* 18. dementiam *AB*

crimine is esset accusatus, praeterquam veneni eius, quod quaesitum Habito diceretur, negarent: si deinde essent rogati, quid iudicassent, condemnasse se dicerent: nemo enim absolvit. Eodem modo quaesitum si esset de Scamandro, certe idem respondissent: tametsi ille una sententia est absolutus; sed illam unam nemo tum istorum suam dici vellet. Uter igitur facilius suae sententiae 106
rationem redderet: isne, qui se et sibi, et rei iudicatae constitisse dicit: an ille, qui se in principem maleficii lenem, in adiutores eius et conscios vehementissimum esse respondet? Quorum ego de sententia non debeo disputare: neque enim dubito, quin tales viri, suspicione aliqua perculsi repentina de statu suo declinarint. Quare eorum, qui absolverunt, misericordiam non reprehendo: eorum, qui in iudicando superiora iudicia secuti sunt sua sponte, non Staieni fraude, constantiam comprobo: eorum vero, qui sibi non liquere dixerunt, sapientiam laudo; qui absolvere eum, quem nocentissimum cognorant, et quem ipsi bis antea condemnarant, nullo modo poterant; condemnare, quum tanta consilii infamia et tam atro-

14. quin ii tales 21. bis iam antea

1. accusatus — 2. negarent *om.* *B* 9. redderet: isne qui se *ABhεηϰλμνξοπστ* reddet isne qui se *ϱ* rédderc iis (v. his) nequisse *bcdefgiklnoδζ* 10. diceret *ξ* se *om.* *B.* 11. adiutorem *bcdefghiknouδεζ* 12. respondet *Fr.* 1. *πϱστ* respondit *Πγδεζηιϰλμνο* responderet *ξ* 14. quin tales viri *AB* quin ii tales viri *RO* percussi *mg. ed.* 1584. *ϱστ* 15. declinarint *mg. ed.* 1584. *ϱστ* declinarent *Π rell. edd.* 21 bis antea *AB* bis iam antea *RO*

cis rei suspicio esset iniecta, paulo posterius patefacta re, maluerunt. Ac ne ex facto solum

107 sapientes illos iudicetis, sed etiam ex hominibus ipsis, quod hi fecerunt, rectissime ac sapientissime factum probetis: quis P. Octavio Balbo ingenio prudentior, iure peritior, fide, religione, officio diligentior aut sanctior commemorari posset? non absolvit. Quis Q. Considio constantior? quis iudiciorum, atque eius dignitatis, quae in iudiciis publicis versari debet, peritior? quis virtute, consilio, auctoritate praestantior? ne is quidem absolvit. Longum est de singulorum virtute ita dicere: quae, quia cognita sunt ab omnibus, verborum ornamenta non quaerunt. Qualis vir M. Iuventius Pedo fuit ex vetere illa iudicum disciplina? qualis L. Caulius Mergus? M. Basilius? C. Caudinus? qui omnes in iudiciis publicis, iam tum florente republica, floruerunt. Ex eodem numero L. Cassius, Cn. Heius, pari et integritate et prudentia: quorum nullius sententia est Oppianicus absolutus. Atque in his omnibus natu minimus, ingenio et diligentia et religione par iis,

5. ex nominibus 4. quod ii fecerint 16. Basi[illegible]lus
21. ex his

3. ex nominibus *ϑλμνοϱστ* 4. hi *AB* ii *RO* fecer[illegible]unt *ABbfmv* fecerint *RO* 5. qui *A* 8. Quis Q.] quisq[illegible]ne *bcdefghiov* 10. debent *bcdefghiklnov* 14. non qu[illegible]ae-runt *h l. codices mutili et α in ordinem redeunt* 14. quaerit *a*[illegible]*pq rstuα* 15. Juventius — Mergus *om. abhnpqrstuvα* f[illegible]uit *om. B* 16. Mergus *om. δζ* Basilius *Π (pauci* Blaxius *v.* Blasi[illegible]us) *γδεζηκλμν* Basilus *ξοπϱστ* 17 Caudinius *Aα* 19. Hei[illegible]*ius codd. Lagom. praeter B, Pall. S. Vict. οπϱστς* Eius *α* Hevit[illegible]*tus AB* Hevius *γδζ* Nevius *v.* Naevius *εηκλμνξ* 21. in his *A*[illegible]*Bc* ex his *RO* ex *om. ε* 22. et diligentia *om. defghiklnorst*[illegible]*v*

quos antea commemoravi, P. Saturius, in eadem
sentientia fuit. O innocentiam Oppianici singula- 108
rem! quo in reo, qui absolvit, ambitiosus: qui
distulit, cautus: qui condemnavit, constans exi-
stimatur.

Haec tum agente Quinctio, neque in concione, 39
neque in iudicio demonstrata sunt: neque enim
ipse dici patiebatur, nec per multitudinem con-
citatam consistere cuiquam in dicendo licebat. Ita-
que ipse, postquam Iunium pervertit, totam cau-
sam reliquit. Paucis enim diebus illis et ipse
privatus est factus, et hominum studia defervisse
intelligebat. Quodsi, per quos dies Iunium accu-
savit, Fidiculanium accusare voluisset: respondendi
Fidiculanio potestas facta non esset. Ac primo
quidem, omnibus illis iudicibus, qui Oppianicum
condemnarant, minabatur. Iam insolentiam no- 109
ratis hominis, noratis animos eius ac spiritus tri-
bunicios. Quod erat odium! Dii immortales!
quae superbia! quanta ignorantia sui! quam gra-
vis atque intolerabilis arrogantia! qui illud iam
ipsum acerbe tulerit, ex quo illa nata sunt om-

6. agitante Quintio 10. causam totam 12. deferbuisse 20. ignoratio 21. illud etiam ipsum

1. Satacius *abg* Saticius *f* Saturnins *nov* Staturius *m* Satureius ξ 4. dispulit *B* 6. agente *ABdmq* agitante *RO* 8 citatam ϰ 9 quicquam ε 10. totam causam *AB*ξ causam totam *R vulg.* 11. etenim paucis *bq* 12. defervisse *ABp* deseruisse *rell. Lagom. et Oxonn.* α deferbuisse *vulg.* 14. Fidiculanium *et mox* — nio *AB bcdefklmnoprstu* Fidiculanum — no *ahiq*αϰμ *(semper in hoc nomine codices fluctuant)* 17. condemnarant *adefghiklmprstuv* condemnaverunt *w*α iam] nam σ 19. Di *p* 20. ignorantia *ABabcqw*αε ignoratio *R vulg.* 21. arrogantia sui α iam *AB* etiam *RO*

nia, non sibi ac defensioni suae condonatum esse
Oppianicum: proinde quasi non satis signi esse
debuerit, ab omnibus eum fuisse desertum, qui
se ad patronum illum contulisset. Erat enim Ro-
mae summa copia patronorum, hominum eloquen-
tissimorum atque amplissimorum, quorum certe
aliquis defendisset equitem Romanum, in munici-
pio suo nobilem, si honeste putasset eiusmodi cau-
40 sam posse defendi. Nam Quinctius quidem quam
110 causam umquam antea dixerat, quum annos ad
quinquaginta natus esset? quis eum umquam non
modo in patroni, sed in laudatoris aut advocati
loco viderat? qui quod rostra iamdiu vacua, lo-
cumque illum post adventum L. Syllae tribuni-
cia voce desertum, oppresserat, multitudinemque
desuefactam iam a concionibus ad veteris consue-
tudinis similitudinem revocarat, idcirco cuidam
hominum generi paulisper iucundior fuit. At-
que idem quanto in odio postea suis ipsis fuit,
per quos in altiorem locum adscenderat? Neque
111 iniuria. Facite enim, ut non solum mores et ar-
rogantiam eius, sed etiam vultum atque amictum
atque illam usque ad talos demissam purpuram

14. a trib. 16. iam desuefactam 17. recocaverat
19. suis illis ipsis 21. mores eius et arrogantiam

1. condemnatum *A B a b d e f g h i k l m o r s t u v w* 4. se *om. B* 12. aut *om. b c d e f g h i k l n o r s t u v δ ε ζ* 13. qui *om ε.* 14. tribunicia voce *A B* a trib. voce *R O* 16. desuefactam iam *A B* iam des. *R O* veteres *A* 17. revocarat *A B a b h i v α* revocaverat *R vulg.* cuiquam *α* 18. iocundior *A* 19. suis ipsis *A B* suis illis ipsis *R O* fuit *om. A B* 21. facite] fecit *A B* mores et arrogantiam eius *A B ξ* mor. eius et arrog. *R vulg.* et *om. a c d e f g h i k l n o p q r s t u v w* 23. atque etiam illam *A B* dimissam *A*

recordemini. Is, quasi non esset ullo modo ferendum, se ex iudicio discessisse victum, rem a subselliis ad rostra detulit. Et iam querimur saepe, hominibus novis non satis magnos in hac civitate esse fructus? Nego usquam umquam fuisse maiores: ubi, si quis ignobili loco natus, ita vivit, ut nobilitatis dignitatem virtute tueri posse videatur, usque eo pervenit, quoad eum industria cum innocentia prosecuta est: si quis autem hoc uno 112 nititur, quod sit ignobilis, procedit saepe longius, quam si idem ille esset cum iisdem suis vitiis nobilissimus. Ut Quinctius (nihil enim dicam de ceteris) si fuisset homo nobilis, quis eum cum illa superbia atque intolerantia ferre potuisset? Quod eo loco fuit, ita tulerunt, ut, si quid haberet a natura boni, prodesse ei putarent oportere: superbiam autem atque arrogantiam eius deridendam magis arbitrarentur propter humilitatem hominis, quam pertimescendam. Sed, ut illuc re- 41 vertar: quo tempore Fidiculanius est absolutus, tu, qui iudicia facta commemoras, quaero, quid tum esse existimas iudicatum? certe gratis iudi-

2. ab subselliis in rostra 6. vivat 21. qui ea iudicia

2. a *ABabehnqvα* ab *R vulg.* 3. ad *ABb (corr) ξ* in *R vulg.* 4. hominis *B* 5. nego] neque *inoα* 6. qui *bdefghklpqrstuvwδζ* nobili *ϑμ* natus sit *AB* vivit *ABcdefghiklnoqqrstuvδζ* vivat *R vulg* 9 persecuta *quwαεμ* qui *abcdefglprstu* 11. ille idem *αε* isdem *p* vitiis] civis *AB* 13. illa] sua *no* 15. a] in *abcdefghikmopqrstuvαδζ* 17. atque *om. B* 20. absolutus est *A* 21. qui iudicia *AB* qui ea iud. *RO* quaero *om. AB*

113 casse. At condemnarat: at causam totam non audierat: at in concionibus a L. Quinctio vehementer erat et saepe vexatus. Illa igitur omnia Quinctiana iniqua, falsa, turbulenta, popularia, seditiosa iudicia fuerunt. Esto: potuit esse innocens Falcula. Iam ergo aliquis Oppianicum gratis condemnavit: iam non eos Iunius subsortitus est, qui pecunia accepta condemnarent: iam potuit aliquis ab initio non sedisse, et tamen Oppianicum gratis condemnasse. Verum, si innocens Falcula, quaero, quis sit nocens? si hic gratis condemnavit, quis accepit? Nego rem esse ullam in quemquam illorum obiectam, quae Fidiculanio non obiecta sit; aliquid fuisse in Fidiculanii causa,
114 quod idem non esset in ceterorum. Aut hoc iudicium reprehendas tu, cuius accusatio rebus iudicatis nitebatur, necesse est: aut, si hoc verum esse concedis, Oppianicum gratis condemnatum esse fateare.

Quamquam satis magno argumento esse debet, quod ex tam multis iudicibus, absoluto Fal-

11. quaeso, quis nocens 14. obiecta non sit, neque aliquid 17. niti videbatur

1. at cond. — a. L. *om. B.* 2. Quinctio trib. pl. *A.* 5. iu[illegible]dicia fuerunt] iudicaverunt *AB* 6. aliqui *AB* 7. eos] omn[illegible]s *Dresd.* condemnavit — 9. gratis *om. α.* 8. condemna[illegible]et *AB* potuit] putaretur *ABb (corr)* potuerunt *cod. Lam*[illegible]*b.* aliqui *ABhiprstu cod. Lamb.* 10. condemnasset *AB* [illegible]1. quaero *II (praeter w) Pall. 4 Fr.* 1. *γδεζη* quaeso w *vu*[illegible]*g.* quis sit] qui sit *AB* quis *RO* 12. ullam] iam *α* 13. [illegible]n obiecta sit *AB* obj. non sit *RO* 14. aliquid fuisse *II (praeter* [illegible]*)* *γδζ* neque aliquid fuisse *aαεκλμνοπϱ* nego aliquid fui[illegible]se *ηξστ* 17. nitebatur *ABξ* inniti videbatur *aαεη* niti vi[illegible]debatur *R vulg.* verum] unum *a*

cula, nemo reus factus est. Quid enim mihi damnatos ambitus colligitis, alia lege, certis criminibus, plurimis testibus? quum primum illi ipsi debuerint potius accusari de pecuniis repetundis, quam ambitus. Nam si in ambitus iudiciis hoc iis obfuit, quum alia lege causam dicerent: certe, si propria lege huius peccati adducti essent, multo plus obfuisset. Deinde, si 115
tanta vis fuit istius criminis, ut, qua quisque lege ex illis iudicibus reus factus esset, tamen hac plaga periret: cur, in tanta multitudine accusatorum, tantis praemiis, ceteri rei facti non sunt? Hic profertur id, quod iudicium appellari non oportet, P. Septimio Scaevolae litem eo nomine esse aestimatam. Cuius rei quae consuetudo sit, quoniam apud homines peritissimos dico, pluribus verbis docere non debeo. Numquam enim ea diligentia, quae solet adhiberi in ceteris iudiciis, eadem, reo damnato, adhibita est. In liti- 116
bus aestimandis fere iudices, aut, quod sibi eum, quem semel condemnarunt, inimicum putant esse, si qua in eum lis capitis illata est, non admittunt: aut, quod se perfunctos iam esse arbitrantur, quum de reo iudicarunt, negligentius attendunt cetera. Itaque et maiestatis absoluti sunt per-

6. his obfuit

2. colligetis *a* 6. iis *ABbceh* his *RO* 8. essent *om B.* 9. fuit vis *α* 10. iudicibus *om. B.* 13. appellare *δεζ* 14. P.] L. *i* esse eo nomine *B* 17. dicere *bcdefghklmnov* 19. adhibenda *bcdefghilmnoγδεζη* 21. esse *om Bbc* 22. qua] quae *Bcdefghiklmnopqrstuv αγζηικλμ* 25. et *om, B,*

multi, quibus damnatis de pecuniis repetundis lites maiestatis essent aestimatae: et hoc quotidie fieri videmus, ut, reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos pervenisse pecunias in litibus aestimandis statutum sit, eosdem iudices absolvant: qnod quum fit, non iudicia rescinduntur, sed hoc statuitur, aestimationem litium non esse iudicium. Scaevola condemnatus est aliis criminibus, frequentissimis Apuliae testibus. Omni contentione pugnatum est, uti lis haec capitis aestimaretur. Quae res si rei iudicatae pondus habuisset: ille postea vel iisdem, vel aliis inimicis, reus hac lege ipsa factus esset.

42 Sequitur id, quod illi iudicium appellant,
117 maiores autem nostri numquam neque iudicium nominarunt, neque proinde, ut rem iudicatam, observarunt, animadversionem atque auctoritatem Censoriam. Qua de re antequam dicere incipio, perpauca mihi de meo officio verba facienda sunt: ut a me quum huiusce periculi, tum ceterorum

2. *om.* maiestatis 5. eos illi iudices 10. ut lis 16. perinde 17. observaverunt

2. maiestatis *add. ex AB* 5. eosdem iud. *AB* eos illi iud. *RO* 6. fiat *bcdefghiklmorstuvδεζ* 7. hoc *om. B* iudicium *om. AB* 10. uti *ABξ* ut *R vulg.* 12. isdem *ap* 14. id, quod] illud *apqrstuvw* id] illud *nξ* 16. proinde *ABadfghiklnopqrstuvwxαξ* proinde *R vulg.* 17. observarunt *ABahinpqrstvαδεζξ* observaverunt *R vulg.* animadversionem atque auctoritatem Censoriam *II (nam haud dubie Oxonn. quorum duo tantum pro vetere scriptura citantur, negligenter h. l. ut saepe observati sunt): αβγδεζηθιχμοπτ* animadversio atque auctoritas Censoria *Man.* 1540. *λνξρσ* 18. antequam *om. aepqtα* priusquam *ξς* dicere *om. apqrstu Pal. 2. ανοπρσ* de re *o* incipio] initio *α* 19. faciunda *ABοπρσ* 20. quum] tum *σ* periculo *AB* tum *om. AB*

quoque officiorum et amicitiarum ratio conservata esse videatur. Nam mihi cum viris fortibus, qui Censores proxime fuerunt, ambobus est amicitia: cum altero vero (sicuti plerique vestri sciunt) magnus usus et summa utriusque officiis constituta necessitudo. Quare, quidquid de subscriptionibus 118 eorum mihi dicendum erit, eo dicam animo, ut omnem orationem meam non de illorum facto, sed de ratione Censoria habitam existimari velim: a Lentulo autem, familiari meo, qui a me pro eximia sua virtute summisque honoribus, quos a populo Romano adeptus est, honoris causa nominatur, facile hoc, iudices, impetrabo, ut, quam ipse adhibere consuevit in amicorum periculis quum fidem et diligentiam, tum vim animi libertatemque dicendi, ex hac mihi concedat ut tantum mihi sumam, quantum sine huius periculo praeterire non possim. A me tamen, ut aequum est, omnia caute pedetentimque dicentur, ut neque fides eius defensionis relicta, neque cuiusquam aut dignitas laesa, aut amicitia violata esse videatur.

4. sicut et plerique vestrum 6. necessitudo est 15. *om.* quum 16. in hoc (hac) mihi 18. possum 20. huius defensionis

1. conservata] consequuta *B* confirmata *α ε* 4. sicut *ϱ σ* plerique *AB* et plerique *RO* vestri *AB* vestrum *RO* 5. officii *II (in Oxonn. non legitur* officio, *ut adnotavit Orell.) α γ δ ε ζ η κ μ* 6. consuetudo *AB cod. Lamb.* est, *quod in RO subjicitur post* necessitudo, *om.* cum *AB* 8. rationem *AB a b c d e f g h i m n o p r s t u v α ε* 15. quum *om. II praeter AB, O praeter η ξ τ* animi *om. q, cod. Lamb.* 16. ex *AB* in *RO* hac] hoc *α, Pall. 4. α ε σ τ* 18. possim *AB* possum *RO* 20. eius *AB* huius *RO* 21. esse violata *α ε*

119 Video igitur, iudices, animadvertisse Censor
in iudices quosdam illius consilii Iuniani, quu
istam ipsam causam subscriberent. Hic illud pr
mum commune proponam, numquam animadver
sionibus Censoriis hanc civitatem ita contentam
ut rebus iudicatis, fuisse. Neque in re nota con
sumam tempus exemplis. Ponam illud unum
C. Getam, quum a L. Metello et Cn. Domitio
Censoribus, ex senatu eiectus esset, Censoren
esse ipsum postea factum: et, cuius mores eran
a Censoribus reprehensi, hunc postea et popul
Romani, et eorum, qui in ipsum animadverterant
moribus praefuisse. Quodsi illud iudicium puta
retur: ut ceteri, turpi iudicio damnati, in perpe
tuum omni honore ac dignitate privantur, si
hominibus ignominia notatis neque ad honoren
120 aditus, neque in curiam reditus esset. Nunc, s
quem Cn. Lentuli aut L. Gellii libertus furti con
demnarit: is, omnibus ornamentis amissis, num
quam ullam honestatis suae partem recuperabit
quos autem ipse L. Gellius et Cn. Lentulus, du
Censores, clarissimi viri, sapientissimique homines
furti et captarum pecuniarum nomine, notave

3. primum illud 10. ipsum postea esse 11. a Cen
soribus erant

2. consilii]. iudicii *cdefgmrstu* *om.* *no* 3. illu
primum *AB* primum illud *RO* 4. praeponam *B* 5. con
temtam *A* 7. exemplis] exempli causa *AB* 8. a]
L. *B* 10. esse ipsum postea *AB* ipsum postea esse *R*
11. erant a Censoribus *AB* a Cens. erant *RO* 16. ad] i
AB 18. Gelli *B adeghklorstu* libertum *A (pr. m.*
20. recuperavit *aprstu* 21. et] aut *αε* 23. captaru
ipsarum pec. *bcdefghmnvε*

runt: ii non modo in Senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum iudiciis absoluti sunt. Neminem voluerunt maiores nostri non 43
modo de existimatione cuiusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse iudicem, nisi qui inter adversarios convenisset. Quapropter in omnibus legibus, quibus exceptum est, de quibus causis aut magistratum capere non liceat, aut iudicem legi, aut alterum accusare, haec ignominiae causa praetermissa est. Timoris enim causam, non vitae poenam in illa potestate esse voluerunt. Itaque non solum illud ostendam, quod iam vi- 121
detis, populi Romani suffragiis saepenumero Censorias subscriptiones esse sublatas, verum etiam iudiciis eorum, qui iurati statuere maiore cum religione et diligentia debuerunt. Primum iudices, Senatores equitesque Romani in compluribus iam reis, quos contra leges pecunias accepisse subscriptum est, suae potius religioni, quam Censorum opinioni paruerunt. Deinde Praetores urbani, qui iurati debent optimum quemque in lectos iudices referre, numquam sibi ad eam rem Censo-

12. solum, iudices, illud 14. esse deletas 21. in selectos

1. ii *om.* *Π praeter ABmp; αδεζλμ* 2. illarum *om.* *aprstuαιϛ* ipsarum *om.* *η* rerum] pecuniarum nomine *bcdefghmoυδζ* 3. neminem *om.* *B* nostri] vestri *prstuα* 10. causam om. *AB* 12. solum illud *ABamprstuαϛ* solum iudices illud *R vulg.* illud *om.* *ikloγεη* 14. subscriptionis *p* sublatas *AB cod. Lamb.* delatas *aprstu* deletas *RO* 18. accepisse *ABηκλμνοπϱ* cepisse *Rαβγδεζιξστ* 19. censoriae *αε* 20. praetores tantum urb. *αε* 21. in lectos *AB* in selectos *RO* 22. sibi numquam *AB*

riam ignominiam impedimento esse oportere dixerunt.
122 Censores denique ipsi saepenumero superiorum Censorum iudiciis (si ista iudicia appellare vultis) non steterunt. Atque etiam ipsi inter se Censores sua iudicia tanti esse arbitrantur, ut alter alterius iudicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat: ut alter de senatu movere velit, alter retineat et ordine amplissimo dignum existimet: ut alter in aerarios referri aut tribu moveri iubeat, alter vetet. Quare qui vobis in mentem venit, haec appellare iudicia, quae a populo rescindi, ab iuratis iudicibus repudiari, a magistratibus negligi, ab iis, qui eandem potestatem adepti sunt, commutari, inter collegas discrepare videatis?

44 Quae quum ita sint, videamus, quid tandem
123 Censores de illo iudicio corrupto iudicasse dicantur. Ac primum illud statuamus, utrum, quia Censores subscripserint, ita sit, an, quia ita fuerit, illi subscripserint. Si ideo, quia subscripserint: videte, quid agatis, ne in unumquemque nostrum Censoribus in posterum potestatem regiam permittatis: ne subscriptio Censoria non minus calami-

3. appellari 7. moveri 11. populo Romano

1. impedimentum *b c d e f g h i k l o r s t u v δ ζ* esse] inesse *α ε* dixerunt *a b c d e f g h i k n o v δ ζ* 3. appellare *A B* appellari *R O* 7. praescindat *A B* movere *Π*, *edd. ante o* moveri *o π ρ σ τ* 9. aerario referre *A B* 10. movere *A B* vetat *α* 11. appellari *α* a populo *A B* a pop. Romano *R O* 14. sint *B* discrepari *ξ* 15. videtis *a o q w* 17. dicuntur *α ς* 19. *post* Censores *mg. A et δ ε ζ haec add.* de illo iudicio corrupto. 20. si ideo quia subscripserint *om. B* ideo *om. A* 21. agatis, videte ne *ξ* vestrum *α ς*

tatis civibus, quam illa acerbissima proscriptio possit afferre: ne Censorium stilum, cuius mucronem multis remediis maiores nostri retuderunt, aeque posthac atque illum Dictatorium gladium pertimescamus. Sin autem, quod subscriptum est, 124 quia verum est, idcirco grave debet esse: hoc quaeramus, verum sit, an falsum: removeantur auctoritates Censoriae: tollatur id ex causa, quod in causa non est: doce, quam pecuniam Cluentius dederit, unde dederit, quemadmodum dederit: unum denique aliquod a Cluentio profectae pecuniae vestigium ostende. Vince deinde, bonum virum fuisse Oppianicum, hominem integrum: nihil de illo umquam secus esse existimatum: nihil denique praeiudicatum. Tum auctoritatem Censoriam amplexato: tum illorum iudicium coniunctum esse cum re defendito. Dum vero eum fuisse Op- 125 pianicum constabit, qui tabulas publicas municipii manu sua corrupisse iudicatus sit: qui testamentum interleverit: qui, supposita persona, falsum testamentum obsignandum curaverit: qui eum,

12. virum bonum 15. Censorum 16. cum re coniunctum esse 18. municipii sui corrupisse 21. curarit

4. gladium *om. A* 5. quod scriptum *ε* 9. non *om. B* 10. quemadmodum dederit *om. AB* 11. unum] unde *ε om. α* aliquod *om. B.* 12. bonum virum *AB* virum bonum *RO* 15. Censoriam *ABbcdefghiklmnoqvδζ* Censorum *R vulg.* 16. amplexato *Π praeter ABkpw; γξπϱτ Priscian. p. 797 P.* amplexator *ABkpw rell. edd.* coniunctum esse cum re *AB* cum re conj. esse *RO* 17. dum] cum *Π praeter ABw; αδεζς* 19. manu sua *AB* sui *RO* iudicatum *ABbc (corr.)* 20. supponi personam *α* 21. curaverit *ABbc (corr.)* curarit *RO*

cuius nomine id obsignatum est, interfecerit: qu avunculum filii sui in servitute ac vinculis neca verit: qui municipes suos proscribendos occiden dosque curaverit: qui eius uxorem, quem occiderat in matrimonium duxerit: qui pecuniam pro abor tione dederit: qui socrum, qui uxores, qui uno tempore fratris uxorem speratosque liberos in terfecerit: qui, quum venenum privigno suo dare vellet, manifesto deprehensus sit: cuius ministris conscilsque damnatis, ipse adductus in iudicium pecuniam iudici dederit ad sententias iudicum corrumpendas: dum haec, inquam, de Oppianico constabunt, neque ullo argumento Cluentianae pe cuniae crimen tenebitur: quid est, quod de ist Censoria sive voluntas sive opinio fuit, adiuvare aut hunc innocentem opprimere posse videatur

45 Quid igitur Censores secuti sunt? ne ipsi quidem
126 ut gravissime dicam, quidquam alia dicent, prae ter sermonem atque famam. Nihil se testibus, nih tabulis, nihil aliquo gravi argumento comperiss

2. necarit 5. pro potione 6. uxorem 8. si quaereret, man. sit deprehensus 13. nec ullo 2 gravi aliquo

1. id *om. B a q u* 2. necaverit *A B ξ* necarit *R vulg.* 4. curav rit *A ξ* curavit *B a o* curarit *R vulg.* 5. abortione *A cod. S. Vi ι κ λ μ ν ξ ο π* portione *q* propositione *m a* potione *R re edd.* 6. uxores *A B cod. S. Vict.* uxorem *R O* uno] h *b c d e f g h i k l m o r s t u v δ ε ζ* 8. privigni *p s* quum *om.* dare vellet *A B* quaereret *R O* 9. depreh. sit *A B* sit de *R O* 13. neque *A B* nec *R O* Cluentiae *B q* 14. ist ipsa *B* 15. fuit *om. ρ σ* opinatio *h n v x* sive subscript Oppianicum adiuvare *ς* 16. hunc *om ε* 18. dicam] dicant *b c e f g h i k l n o v β γ δ σ τ* 20. aliquo gravi *A B* gr. aliquo *R* comperisse *om. b c d f g h i k l m n o v*

nihil denique, causa cognita, statuisse dicent, Quodsi ita fecissent: tamen id non ita fixum esse deberet, ut convelli non liceret. Non utar exemplorum copia, quae summa est: non rem veterem, non hominem potentem aliquem aut gratiosum proferam. Nuper hominem tenuem, scribam Aedilitium, D. Matrinium, quum defendissem apud M. Iunium, Q. Publicium Praetores, et M. Plaetorium, C. Flaminium, Aedilis curulis: persuasi, ut scribam iurati legerent eum, quem iidem isti Censores aerarium reliquisse subscripserunt. Quum enim in homine nulla culpa inveniretur: quid ille meruisset, non quid de eo statutum esset, quaerendum esse duxerunt. Nam haec quidem, quae 127
de iudicio corrupto subscripserunt, quis est, qui ab illis satis cognita et diligenter iudicata arbitretur? In M' Aquillium et in Ti. Guttam video esse subscriptum. Quid est hoc? duos esse corruptos solos pecunia dicant: ceteri videlicet gratis condemnarunt. Non est igitur circumven-

11. reliquissent. Quum 12. reperiretur 15. subscripserint 19. pecunia? Quid? ceteri

2. ita non id *αε* 3. utar] utique *ας* 4. copiam *ας* 7. Macrinum *A* Marium *α* 8. et Q *αες* Puplicium *B* Poplicium *ξ* 11. reliquisse subscripserunt *B b c d e g h i k m n o v δ ε ζ* reliquisse scripserunt *A* reliquissent *R vulg.* 12. inveniretur *Π praeter a q w δ ζ* reperiretur *R vulg.* quid] quod *b c d e f g h i a p r s t u v* quam *a Fr.* 1. 13. non quid] num quid *b c d e f g p r s t u* 14. dixerunt *A B d f g m q* 15. subscripserint *b c d e f h v γ δ ε κ λ μ ν ξ ο ρ σ* subscripserunt *h. l. a p q r s t u w, Pall. Fr.* 2 *et α deficiunt usque ad c.* 47. 132: opinione standum 17. M. Aq. *Π, edd. ante ξ praeter λ* et intimum Guttam *A* 19. dicant *Π praeter l; δ ε ζ* quid *l (si recte enotatum est) vulg.*

tus, non oppressus pecunia, non, ut illae Q
ctianae conciones habebantur, omnes, qui Op
nicum condemnarunt, in culpa sunt ac suspici
ponendi. Duos solos video auctoritate Censo
affinis ei turpitudini iudicari. Aut illud affer
aliquid sese, quod de his duobus habuerint c
46 pertum, de ceteris comperisse. Nam illud qui
128 minime probandum est, ad notationes auctor
temque Censoriam exemplum illos a consuetu
militari transtulisse. Statuerunt enim ita mai
nostri, ut, si a multis esset flagitium rei mi
ris admissum, sortito in quosdam animadvert
tur: ut metus videlicet ad omnis, poena ad
cos perveniret. Quod idem facere Censores in del
dignitatis et in iudicio civium, et in amimad
sione vitiorum, qui convenit? Nam miles,
locum non tenuit, qui hostium impetum vim
pertimuit, potest idem postea et miles esse me
et vir bonus, et civis utilis. Quare qui in l
propter hostium metum deliquerat, amplio
mortis et supplicii metus est a maioribus co

1. non est oppressus 6. aliquid esse, quod
sortitione 19. Quare ne in bello 20. delinq

1. non oppressus *ABbkμξ* non est oppr. *R vulg.* u
illac *A* illa Quinctiana concione *cdefghiklmov* 2.
batur *Fr. 1.* habebant *ρσ* 3. suspiciendi *B* 5
nam ut *ηθλμν* illud *om. B* 6. aliquid sese] aliquid esse
εζxοπρτ nihil est *ηθλμν* at illud, quod afferunt,
est aliquid esse *ξ* ut illud afferant, quod de iis duobus hab
compertum *σ* 7. de ceteris nihil comperisse *ξ* de ceteris non
perisse *στ ex coni. Graevii* nam] jam *ξ* 9. a *om*
δεζ ex *Fr. 1.* 10. statuere *AB* 12. sortito] so
AB sortitione *RO* 19. qui — deliquerat *AB*
delinqueret *RO*

tutus: ne autem nimium multi poenam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est. Hoc 129
tu idem facies Censor in senatu legendo? Si erunt plures, qui ob innocentem condemnandum pecuniam acceperint, tu non animadvertes in omnis, sed carpes, ut velis, et paucos ex multis ad ignominiam sortiere? Habebit igitur, te sciente et vidente, curia Senatorem, populus Romanus iudicem, res publica civem sine ignominia quemquam, qui ad perniciem innocentis, fidem suam et religionem pecunia commutarit? et, qui pretio adductus eripuerit patriam, fortunas, liberos civi innocenti, is Censoriae severitatis nota non inuretur? Tu es praefectus moribus, tu magister veteris disciplinae et severitatis, si aut retines quemquam sciens in senatu, scelere tanto contaminatum, aut statuis, qui in eadem culpa sit, non eadem poena affici oportere? Conveniitne, ut quam conditionem supplicii maiores in bello timiditati militis propositam esse voluerunt, eandem tu in pace constituas improbitati Senatoris? Quodsi hoc exemplum ex

5. ut non animadvertas 18. affici oportere
convenire 20. constitues

5. tu *AB*τ ut *R vulg.* *om.* ξσ animadvertes ξστ
animadvertis *AB* animadvertas *R vulg.* 6. carpes *Π*; βγδεζηι
κμξστ carpas λνοπϱ velis] voles ξστ 7. sortiere *Π*; β
γδεζηικμξστ sortiare λνοπϱ 9. ignominia: *h. l. rursus
incipit C* 13. uretur *BC* 14. tu *om. ed.* 1584. οπϱσ
15. et] ac *C* 17. qui] quis *A* 18. oportere? Convenitne]
oportere convenire *ABbcehiklmno Fr.* 1. *Regg.* 2. βγδεζηϑικ
μνπ oportere *om.* *Cdfg*ξοπϱστ convenire *om.* λ ut]
aut *C*τ et δζηϑικλμνξοϱσ ut ad quam *B* 20. constituas *AB*π *(non* δ, *quod dicit Orell.)* constituis σ constitues *R vulg.* 21. exemplum hoc ϱσ hoc *om. ed.* 1584. ο

re militari ad animadversionem Censoriam transferendum fuit: sortitione id ipsum factum esse oportuit. Sin autem sortiri ad poenam, et hominum delictum fortunae iudicio committere, minime Censorium est; certe in multorum peccato carpi paucos ad ignominiam et turpitudinem non
47 oportet. Verum omnes intelligimus, in istis sub-
130 scriptionibus ventum quendam popularem esse quaesitum. Iactata res erat in concione a Tribuno seditioso: incognita causa, probatum illud erat multitudini: nemini licitum est contra dicere: nemo denique, ut defenderet contrariam partem, laborabat. In invidiam porro magnam illa iudicia venerant. Etenim paucis postea mensibus alia vehemens erat in iudiciis ex notatione tabellarum invidia versata. Praetermitti a Censoribus, et negligi macula iudiciorum posse non videbatur. Homines, quos ceteris vitiis atque omni dedecore infamis videbant, eos hac quoque subscriptione notare voluerunt, et eo magis, quod illo ipso tempore, illis Censoribus, erant iudicia cum equestri ordine communicata; ut viderentur

3. atque hominum 11. multitudinem illicitum 16. tabularum

3. et *C* ad *Π (pr. C) δεζ* atque *vulg.* 4. delectum *coni. viri docti ap. Fulv. Ursinum* 6. et turpitudinem *om. C* 7. suspitionibus *B* 9. a tribuno seditioso *om. C* 11. multitudini: nemini licitum *Cτ (ut olim coniecerat Ant. Augustinus)* multitudinem illicitum *Rβγδζϑικμνοϱσ* multitudini illi non licitum *ξ* multitudini illicitum *ελπ* multitudinem multitudini ill. *η* 13. invidia — magna *Π praeter ACkmn; δεξ* 14. etenim] et cum *B* 16. tabellarum *C (quod coni. Garaton.) τ* tabularum *R vulg.* a] ab *C* 21. ipso in tempore *AB* erat *C*

per hominum idoneorum ignominiam sua auctoritate illa iudicia reprehendisse. Quodsi hanc 131 apud eos ipsos Censores mihi aut alii causam agere licuisset: hominibus tali prudentia certe probavissem (res enim indicat) nihil ipsos habuisse cogniti, nihil comperti: ex tota ista subscriptione rumorem quendam et plausum popularem esse quaesitum. Nam in P. Popilium, qui Oppianicum condemnarat, subscripsit L. Gellius, quod is pecuniam accepisset, quo innocentem condemnaret. Iam id ipsum quantae divinationis est, scire, innocentem fuisse reum, quem fortasse numquam viderat, quum homines sapientissimi, iudices, ut nihil dicam de iis, qui condemnarunt, causa cognita, sibi dixerint non liquere?

Verum esto: condemnat Popilium Gellius: 132 iudicat, accepisse a Cluentio pecuniam. Negat hoc Lentulus. Nam Popilium, quod erat libertini filius, in senatum non legit: locum quidem Senatorium ludis et cetera ornamenta relinquit, et eum omni ignominia liberat. Quod quum facit, iudicat, eius sententia gratis esse Oppianicum condemnatum. Et eundem Popilium postea Lentulus in ambitus iudicio pro testimonio diligen-

2. judicia cum equestri ordine reprehendisse

2. illa judicia reprehendisee *C τ (coni. Ernesti)* illa iudicia cum equestri ordine repreh, *R vulg.* 3. eos] eosdem *C τ* 4. prudentia praeditis *C τ* 5. probavissem *h. l. desinit C* 6. ista *ϱ (ex coni.) τ* ipsa *R rell. edd.* 8. P. *(ex coni. F. Ursini) ϱ τ* L. *R rell. edd.* 14. his *ABdfhu* 15. sibi] sibi esse *AB* dixerunt *H* 20. relinquit *§ ϱ τ* reliquit *H rell. edd.*

tissime laudat. Quare, si neque L. Gellii iudicio stetit Lentulus, neque Lentuli existimatione contentus fuit Gellius: et, si uterque Censor Censoris opinione standum non putavit: quid est, quamobrem quisquam nostrum Censorias subscriptiones omnis fixas et in perpetuum ratas putet esse oportere?

48 At in ipsum Habitum animadverterunt: nullam
133 quidem ob turpitudinem, nullum ob totius vitae, non dicam vitium, sed erratum: neque enim hoc homine sanctior neque probior neque in omnibus officiis retinendis diligentior esse quisquam potest: neque illi aliter dicunt; sed eandem illam famam iudicii corrupti secuti sunt. Neque ipsi secus existimant, quam nos existimari volumus, de huius pudore, integritate, virtute; sed putarunt praetermitti accusatorem non potuisse, quum animadversum esset in iudices. Qua de re tota si unum factum ex omni antiquitate pro-
134 tulero, plura non dicam. Non enim mihi exemplum summi et clarissimi viri, P. Africani, praetereundum videtur: qui quum esset Censor, et in equitum censu C. Licinius Sacerdos prodiisset; clara voce, ut omnis concio audire posset, dixit, se scire, illum verbis conceptis peierasse:

1. si *om. v* Gelli *A B b c d e f g h' v* 2. aestimatione *δ ε ζ* 4. opinione standum *h. l. redeunt codices mutili* ed. *α* 6. adfixas *a p q r s t u* affixas *α* putat *A B a b h* 13. dicunt] debent *α* 14. sunt *om. B* 15. ipsi] enim nos] vos *p r s t u ς* existimare *II praeter A B α ε* 19. tot *om. A B* 20. dico *A B* 22. et *om. B* 23. prodisset *II praeter a h m q w; ε* prodidisset *α* 24. possit *II praeter a q v (de Oxonn. non liquet.)*

quiscontra vellet dicere, usurum esse eum suo testimonio: deinde quum nemo contra diceret, iussit equum traducere. Ita is, cuius arbitrio et populus Romanus et exterae gentes contentae esse consuerant, ipse sua scientia ad ignominiam alterius contentus non fuit. Quodsi hoc Habito facere licuisset, facile, illis ipsis iudicibus, et falsae suspicioni et invidiae populariter excitatae restitisset.

Unum etiam est, quod me maxime pertur- 135
bat, cui loco respondere posse vix videor, quod elogium recitasti de testamento Cn. Egnatii, patris, hominis honestissimi videlicet et sapientissimi: idcirco se exheredasse filium, quod is ob Oppianici condemnationem pecuniam accepisset. De cuius hominis levitate et inconstantia plura non dicam. Hoc testamentum ipsum, quod recitas, eiusmodi est, ut ille, quum eum filium exheredaret, quem oderat, ei filio coheredes homines alienissimos adiungeret, quem diligebat. Sed tu, Acci, consideres, censeo, diligenter, utrum Cen-

1. contra dicere vellet 2. contra nemo diceret 3. Itaque is 9. conturbat 14. damnationem 19. conjungeret

1. qui *ABbdefgpqrstuαβεητ* vellet dicere *AB* dic. vellet *RO* us. esse tum eius test. *δζ* 2. nemo contra diceret *AB* contra nemo dic. *RO* 3. ita *AB* itaque *RO* et *om.* *α* 4. consuerant *ητ* consuerunt *Π* *(praeter iw)* *γδζ* consueverunt *αεικλμνξοπ* consueverant *ϱσ* 5. scientia *Π*, *cod. Dresd.* *βγδεζμϱσ* conscientia *Franc. codd.* *αηικλνξοπτ* 9. unum est etiam *αε* maxime me *αε* perturbat *ABb* conturbat *RO* 10. vix videor posse *AB₁* 11. eulogium *α* eclogium *ξ* 13. ob *Aκλμνξ seqq.* ab *B* ad *Rαδεζ* 14. condemnationem *AB* damnationem *RO* 19. adiungeret *ABb (corr.)* *codd. Lamb.* coniungeret *RO*

sorum iudicium grave velis esse, an Egnatii. Egnatii: leve est, quod Censores de ceteris si scripserunt; ipsum enim Cn. Egnatium, quem gravem esse vis, ex senatu eiecerunt. Sin aut Censorum: hunc Egnatium, quem pater Censo subscriptione exheredavit, Censores in sena quum patrem eiicerent, retinuerunt.

49 At enim senatus universus iudicavit, il
136 corruptum esse iudicium. Quomodo? Susc causam. An potuit rem delatam eiusmodi re diare, quum Tribunus plebis, populo concit rem paene ad manus revocasset: quum vir o mus, et homo innocentissimus pecunia circu ventus diceretur: quum invidia flagraret o Senatorius? potuit nihil decerni? potuit illa c citatio multitudinis sine summo periculo rei blicae repudiari? At quid est decretum? qu iuste! quam sapienter! quam diligenter! SI SUNT, QUORUM OPERA FACTUM SIT, UT IUDICI PUBLICUM CORRUMPERETUR. Utrum videtur senatus factum iudicare: an, si factum sit, mol graviterque ferre? Si ipse A. Cluentius sent

14. circumventus esse diceretur 21. senatus id ctum

1. Censorium *A B a q δ ζ ϑ κ λ μ Quinctil. V,* 13. 33. subscripserint *α* scripserunt *B (pr. m.)* 5. Censorium *α κ λ μ ν Quinct.* Censorem *A* 6. exheredat *Π praeter Ab α* senatum *ε* 7. eiecissent *Quinct. edd. ante Spalding.* cum populo *a q α ε* 13. circumventus diceretur *A B* circ. dic. *R O* 17. at] aut *a b c d e f g k l p q r s t u w α δ ε ζ* q iuste *om. o* 19. sint *ρ σ* 20. id senatus *A B* s natus id *R O*

tiam de iudiciis rogaretur? aliam non diceret, atque ii dixerunt, quorum sententiis Cluentium condemnatum esse dicitis. Sed quaero a vobis, 137
num istam legem ex isto senatusconsulto L. Lucullus Consul, homo sapientissimus, tulerit: num anno post M. Lucullus et C. Cassius, in quos, tum Consules designatos, idem illud Senatus decreverat? non tulerunt: et quod tu Habiti pecunia factum esse arguis, neque id ulla tenuissima suspicione confirmas, factum est primum illorum aequitate et sapientia Consulum, ut id, quod senatus decreverat, ad illud invidiae praesens incendium restinguendum, id postea referendum ad populum non arbitrarentur. Ipse deinde populus Romanus, qui L. Quinctii Tribuni plebis fictis querimoniis antea concitatus, rem illam et rogationem flagitarat, idem C. Iunii filii, pueri parvuli, lacrimis commotus, maximo clamore et concursu totam quaestionem illam et legem repudiavit. Ex quo intelligi potuit id, quod saepe 138

8. decreverit 9. ulla vel tenuissima 10. primo
19. totam illam legem et quaestionem

1. rogaretur — sententiis *om. aprstuα* 7. tum] cum *cefζkprstuγδζηϑλμν* decreverat *ABξ* decreverit *R vulg.* 9. ulla tenuissima *Π (de uno Oxon. qui enotatus non est, magno opere dubito) α — ξ* ulla vel ten. *οπϱστ* 10. primum *ABapqrstuαε* primo *R vulg.* 11. quod idem senatus *α* 13. referendum *ABϑκλμνξοϱστ* perferendum *R cod. Dresd. Franc. αεπ* proferendum *ς* 15. Tribuni plebis *om. AB* 16. ante *A* incitatus *aqwαξ* 17. flagitaret *B (pr. m.)* 18. parvoli *'prst* parvi *αε* 19. quaestionem illam et legem *AB* illam legem et quaest. *RO*

dictum est: ut mare, quod natura sua tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari; sic populum Romanum sua sponte esse placatum: hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus, concitari.

50 Est etiam reliqua permagna auctoritas, quam ego turpiter paene praeterii: mea enim esse dicitur. Recitavit ex oratione, nescio qua, Accius, quam meam esse dicebat, cohortationem quandam iudicum ad honeste iudicandum, et commemorationem quum aliorum iudiciorum, quae probata non essent, tum illius ipsius iudicii Iuniani: proinde quasi ego non ab initio huius defensionis dixerim, invidiosum illud iudicium fuisse: aut, quum de infamia iudiciorum disputarem, potuerim illud, quod tam populare esset illo tempore,
139 praeterire. Ego vero, si quid eiusmodi dixi, neque cognitum commemoravi, neque pro testimonio dixi: et illa oratio potius temporis mei, quam

1. sua natura 2. sic et populum 11. tum aliorum 12. perinde 14. fuisse iudicium 16. in illo tempore

1. natura sua *AB* sua nat. *RO* 2. agitari videmus atque *ε mg. η* sic pop. *ABα* sic et pop. *RO* 3. pacatum *bcdefghiklmnrstuv Fr.βεη* paratum *o* 4. ut] et *αε* 11. quum *Aprstu om. B* tum *RO* aliorum *ϱ (ex coni.) στ* illorum *II rell. edd.* 12. proinde *ABabdfghiklmnopqrstuv wαξ* perinde *R vulg.* 14. iudicium fuisse *AB* fuisse iud. *RO* 15. iudiciorum, quae probata non essent, disput. *αεζκμνξ (h. l. verba male intrusa om. mo, non superiora illa v 11, quod dicit Orellius. Sed quum absque dubitatione sit in nullo codice ista, in ed. princ. errore repetita, inveniri, satis apparet, quanta negligentia varietas lectionum Oxoniensium enotata sit: nam duo h. l. pro omnibus citantur.* 16. illo temp. *AB* in illo temp. *RO*

udicii et auctoritatis fuit. Quum enim accusa-
em et mihi initio proposuissem, ut animos et
opuli Romani et iudicum commoverem, quum-
ue omnis offensiones iudiciorum non ex mea
pinione, sed ex hominum rumore proferrem:
stam rem, quae tam populariter esset agitata,
raeterire non potui. Sed errat vehementer, si quis
1 orationibus nostris, quas in iudiciis habuimus,
uctoritates nostras consignatas se habere arbitra-
ur. Omnes enim causarum ac temporum sunt,
on hominum ipsorum aut patronorum. Nam, si
ausae ipsae pro se loqui possent, nemo adhibe-
et oratorem. Nunc adhibemur, ut ea dicamus,
on quae nostra auctoritate constituantur, sed
uae ex re ipsa causaque ducantur. Hominem 140
geniosum, M. Antonium, aiunt solitum esse
icere, *idcirco se nullam umquam orationem scri-
sisse, ut, si quid aliquando non opus esset ab se
se dictum, posset negare dixisse:* proinde quasi,
quid a nobis dictum aut actum sit, id nisi

10. omnes enim illas orationes causarum et temporum 11. ac patronorum 18. aliquando, quod non ab se esset dictum, posset se negare 19. perinde quasi, quid

1. accusatorem *apα* accusator essem *rstu* 3. commemo-
em *α* 8. habuimus in iudiciis *αε* 9. nostras *om. B* 10. enim
usarum *AB* enim illae orationes causarum *RO* ac *AB*
rstuα et *R vulg.* 11. aut *ABwαεηξ* ac *R vulg.* 14.
uctoritate nostra *Ap* 15. dicantur *Boγκξ* 17. numquam
llam *Aξ* 18. aliquando non opus esset ab se esse dictum
I (praeter iw) αβγδειξς aliquando, quod non opus esset,
b se esset dictum *ηθκλμνοπϱστ* 19. posset negare *AB*
osset se neg. *RO* proinde *Παξ* perinde *R vulg.* quasi
m. cdefghiklmnorstuvε 20. si quid *AB* quod *ξ* quid *R*
ulg. aut actum *om. βε*

litteris mandarimus, hominum memoria non comprehendatur.
51 Ego vero in isto genere libentius quum multorum, tum hominis eloquentissimi et sapientissimi, L. Crassi auctoritatem sequor, qui quum Cn. Plancum defenderet, accusante M. Bruto, homine in dicendo vehementi et callido, quum Brutus, duobus recitatoribus constitutis, ex duabus eius orationibus capita alterna, inter se contraria, recitanda curasset: quod in dissuasione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonensem ferebatur, quantum potest, de auctoritate senatus detrahit: in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus: et multa in equites Romanos quum ex ea oratione asperius dicta recitasset, quo animi illorum iudicum in Crassum incenderentur: aliquantum esse commo-
141 tus dicitur. Itaque in respondendo primum exposuit utriusque rationem temporis, ut oratio ex re et causa habita videretur: deinde, ut intelligere posset Brutus, quem hominem, et non solum qua eloquentia, verum etiam quo lepore et quibus facetiis praeditum lacessisset: tres et ipse excitavit recitatores cum singulis libellis, quos M. Brutus, pater illius accusatoris de iure civili reliquit.

1. mandaverimus

1. mandarimus *AB* mandaverimus *RO* 2. isto] ipso *AB* 3. tum] cum *B* tum hominis] hominum tum *bcdefgiklmno* 5. Cn. *σ* C. *AB* L. *R vulg.* Plancum *Π (praeter moqw) γσ* Plancium *R vulg.* 6. calido *ex Victorii coni. ρσ* 8. ejus *om.* *AB* altera *B* 9. et quod *AB* 14. ex *om.* *B* 15. iudicium *Bα* 17. in *om.* *ABb (corr.)* posuit *B* 19. et] ex *B* et ex *Aoξ* 22. et *om.* *AB*

Eorum initia quum recitarentur, ea, quae vobis nota esse arbitror: FORTE EVENIT, UT RURI IN PRIVERNATE ESSEMUS, EGO ET BRUTUS FILIUS: fundum Privernatem flagitabat; IN ALBANO ERAMUS EGO ET BRUTUS FILIUS: Albanum poscebat; IN TIBURTI FORTE QUUM ASSEDISSEMUS, EGO ET BRUTUS FILIUS: Tiburtem fundum requirebat. Brutum autem, hominem sapientem, quod filii nequitiam videret, quae praedia ei relinqueret, testificari voluisse dicebat: quod si potuisset honeste scribere, se in balneis cum id aetatis filio fuisse, non praeterisset: eas tamen ab eo balneas non ex libris patris, sed ex tabulis et ex censu quaerere. Crassus tum ita Brutum ultus est, ut illum recitationis suae poeniteret. Moleste enim fortasse tulerat, se in iis orationibus reprehensum, quas de republica habuisset: in quibus forsitan magis requiratur constantia. Ego autem illa re- 142
citata esse, non moleste fero. Neque enim ab illo tempore, quod tum erat, neque ab ea causa, quae tum agebatur, aliena fuere, neque mihi

10. dicebat voluisse 12. eas se tamen 21. fuerunt

2. esse *om.* α 3. Privernati *Priscian. Quinctil. VI*, 3. 44. *(cfr. d. Orat II c. 55.)* στ essem *A* 4. fundum — 5. filius *om.* α Albanum — filius *om. ap stuw* 6. Tiburti *AB bçdefghiklnoβγδεζηϑλμνξστ* Tiburte *Rπϱ* ego — filius *om. bcdefghiklmαδεζχλμν* 7. Tiburtinum *ϑχμ* 10. testificari se *ABap* voluisse dicebat *ABqαεηξ* dic. vol. *R vulg.* 12. praeteriisset *δζηξπ* praeterisset eas: se *π* eas tamen *ABq* eas se tamen *RO* 13. sed *om. B* 16. his *ABbcdefgqrstuvδεζχμ* 19. esse *om. II praeter AB; αγδεζημ* 21. fuere *AB* fuerunt *RO*

quidquam oneris suscepi, quum ista dixi, quo minus honeste hanc causam et libere possem defendere. Quodsi velim confiteri, me causam A. Cluentii nunc cognosse, antea fuisse in illa populari opinione: quis tandem id possit reprehendere? praesertim, iudices, quum a vobis quoque ipsis hoc impetrari sit aequissimum, quod ego et ab initio petivi, et nunc peto, ut, si quam huic graviorem de illo iudicio opinionem attulistis, hanc, causa perspecta atque omni veritate cognita, deponatis.

52 Nunc, quoniam ad omnia, quae abs te dicta
2. ii (*v* hi) *Π praeter lmq; δζξ* illi *R vulg.* 5. iis obsisti *AB* utrum] verum *ABq* 7. fuit *om. AB* 8. *prius* et om. *qα* serrula] serva *A* cellula *α* 10. igitur alia *ABaq ne* alia igitur *R vulg.* 11. vobis dicendum *ABx* dic. vobis *RO* 12. dictitavit *Π praeter qw (m* dictavit) *cod. Lamb. βγδεζησ* dictitabat *αικλμνξοπρτ* dictabat *q* quaereret *B* Stratonem — dixisse *AB (coni. Schütz.)* Strato — dixit *RO* 13. En hoc] item *AB* est *om. noqvα* abunda *B* abundans *Prisc. p.* 1123. 16. plures *om. α* referuntur *A* 17. nobisque *Π praeter iw; αβγδεζς* ipsae] istae *AB* tum non obs. *ρ* dixit *Π βγδεζηστ* 18. dixi *ικλμνξοπρ* in] de *Π praeter AB; α* 19. nulla littera *AB* littera nulla *RO* primum *AB b (corr.)* primam *RO*

post aliquod dictum adiungere de veneno, quod non percunctatione quaesitum, sed dolore expressum videretur. Quaestio de furto est, veneni iam suspicio superiore quaestione sublata; quod ipsum haec eadem mulier iudicarat: quae ut Romae de amicorum sententia statuerat satis esse quaesitum, postea per triennium maxime ex omnibus servis Stratonem illum dilexerat, in honore habuerat,
185 commodis omnibus affecerat. Quum igitur de furto quaereretur, et eo furto, quod ille sine controversia fecerat: tum ille de eo, quod quaerebatur, verbum nullum fecit? De veneno statim dixit? de furto, si non eo loco, quo debuit, ne in extrema quidem aut media, aut aliqua deni-
66 que parte quaestionis verbum fecit ullum? Iam videtis, illam nefariam mulierem, iudices, eadem manu, qua, si detur potestas, interficere filium cupiat, hanc fictam quaestionem conscripsisse. Atque istam ipsam quaestionem, dicite, quis obsignarit. Unum aliquem nominate. Neminem reperietis, nisi forte eiusmodi hominem, quem ego
186 proferri malim, quam neminem nominari. Quid ais, T. Acci? Tu periculum capitis, tu iudicium sceleris, tu fortunas alterius litteris conscriptas in

1. aliquid adiungere dictum 4. suspicione 5. indicarat 14. aut in aliqua 19. obsignavit

1. aliquod dictum adiungere *AB* aliquid adi. dictum *RO* 2 per dolorem *AB* 4. suspicio *AB* suspicione *RO* ipsa *AB* 5. iudicarat *Π praeter b g k m w*; ς indicarat *RO* 14. aut aliqua *AB* aut in al. *RO* 15. nullum *λ μ* 18. quaestionem ipsam *om. B q* 19. obsignarit *Π praeter f q w*; *δ ε ζ* obsignavit *vulg.* 20. nominatim *AB* nominat *o p r s t u v* 22. neminem] hominem *ɋ* 23. iudicium *b c d e f g h i m α ε ς*

iudicium afferas: neque earum auctorem litterarum, neque obsignatorem, neque testem ullum nominabis? et, quam tu pestem innocentissimo filio ex matris sinu deprompseris, hanc hi tales viri comprobabunt? Esto: in tabellis nihil est auctoritatis: quid? ipsa quaestio, iudicibus: quid? amicis hospitibusque Oppianici, quos adhibuerat antea: quid? huic tandem ipsi tempori cur non reservata est? quid istis hominibus factum est, Stratone et Nicostrato? Quaero abs te, Oppia- 187 nice, servo tuo Nicostrato quid factum esse dicas: quem tu, quum hunc brevi tempore accusaturus esses, Romam deducere, dare potestatem indicandi, incolumem denique servare quaestioni, servare his iudicibus, servare huic tempori debuisti. Nam Stratonem quidem, iudices, in crucem esse actum exsecta scitote lingua: quod nemo Larinatium est qui nesciat. Timuit mulier amens non suam conscientiam, non odium municipum, non famam omnium: sed, quasi non omnes eius sceleris testes essent futuri, sic metuit, ne condemnaretur extrema servuli voce morientis.

17. actum esse 18. est Larinatium

1. afferes *δζξϱστ* auctorem *Adfghprstuv* *(de Oxonn. nihil adnotatum)* *αγδεζηικλμνξτ* auctoritatem *R ed.* 1584. *οπϱσ* litterarum neque obsign. *om.* *αε* 4. ex] de *AB* hi *om.* *B* 5. nonnihil *coni. Passerat.* 7. quos] quod *A* 9. servata *AB* 12. quem tu quum *om.* *A* 14. indicandi *Π* *praeter* *ABilmw;αν* conservare *γεη* 15. servare *(ante* his *ind.)* *om.* *Bnoqrstuα* reservare huic *ζ* 17. esse actum *AB* actum esse *RO* Larin. est *AB* est Lar. *RO* 19. municipium *ciprvα* 20. omnes *om.* *B* 22. servi *AB* servili *iprstuvα*

188 Quod hoc portentum, Dii immortales? quod tantum monstrum in ullis locis? quod tam infestum scelus et immane, aut unde natum esse dicamus? Iam enim videtis profecto, iudices, non sine necessariis me ac maximis causis, principio orationis meae de matre dixisse. Nihil est enim mali, nihil sceleris, quod illa non ab initio filio voluerit, optaverit, cogitaverit, effecerit. Mitto illam primam libidinis iniuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulsam ex matrimonio filiam; quae nondum ad huiusce vitae periculum, sed ad commune familiae dedecus pertinebant. Nihil de alteris Oppianici nuptiis queror: quarum illa quum obsides filios ab eo mortuos accepisset, tum denique in familiae luctum atque in privignorum funus nupsit. Praetereo, quod A. Aurium, cuius illa quondam socrus, paulo ante uxor fuisset, quum Oppianici esse opera proscriptum occisumque cognosset, eam sibi domum sedemque [coniugii] delegit, in qua quotidie superioris viri mortis indicia et spolia for-
189 tunarum videret. Illud primum queror: de illo scelere, quod nunc denique patefactum est, Fa-

17. quod Aurium Melinum   19. cognosceret

1. Quid *αε* 2. in illis *A* 5. in principio *α ε* 10. cupiditatem *ABqv* 12. familiae] generis *q* 13. pertinebat *ABvδζ* 16. in *om. qα* innupsit *ghimnopqrstuvα* 17. A. *add. B codd. Lamb. ξ* M. Maurium *A* Melinum, *quod vulgo additur, om. II (praeter w) γδεζη* 19. cognosset *(s. cognoscet) ABbdefghioprstu* cognosceret *RO* 20. coniugii *om. II praeter ikl qw; δζ* 22. de illo scelere *AB, O praeter αξ* ab illo scel. *Rα* illud scelus *ξ*

briciani veneni: quod iam tum recens suspiciosum
ceteris, huic incredibile, nunc vero apertum iam
omnibus ac manifestum videtur: non est profecto
de illo veneno celata mater: nihil est ab Oppianico
sine consilio mulieris cogitatum: quod si esset,
certe postea, deprehensa re, non illa ut a viro im-
probo discessisset, sed ut a crudelissimo hoste fu-
gisset, domumque illam in perpetuum, selerum
omnium affluentem reliquisset. Non modo id 190
non fecit, sed ab illo tempore nullum locum prae-
termisit, in quo non strueret insidias aliquas, ac
dies omnis atque noctes tota mente mater de per-
nicie filii cogitaret. Quae primum ut illum con-
firmaret Oppianicum accusatorem filio suo, donis,
muneribus, collocatione filiae, spe hereditatis ob-
strinxit. Ita quod apud ceteros, novis inter pro- 67
pinquos susceptis inimicitiis, saepe fieri divortia
atque affinitatum discidia vidimus: haec mulier
satis firmum accusatorem filio suo fore neminem
putavit, nisi qui in matrimonium sororem eius

5. quod nisi esset 6. ut ab improbo viro 8. scelere omni 11. instrueret 12. ac noctes 13. ut istum 16. itaque apud

4. scelerata *q* 5. si *AB* ni *νξ* nisi *R vulg.* 6. ut] aut *bcdefgkloqrstuv* a viro improbo *AB* ab impr. viro *RO* 8. que *om bcdefgδεζ* hoste] honeste *ε* scelerum omnium *AB* scelere omni *RO* 11. strueret *ABoαβεη* instrueret *R vulg.* filio insidias *Bξ* ac *om. ξ* 12. atque *AB codd. Lamb.* ac *RO* totas *bcdefghklpqrstuvwαβγδεζη* 13. illum *Π praeter imno; αδεζκμ* istum *R λνξ seqq.* 14. accusatorem *om. B* 15. muneribus] muliebribus *qαβεηϑικμνο* mulieribus *w* munebribus *kl* 16. ita quod *Π pr. fvw; Pal.* 2. itaque quod *ξ* itaque *R vulg.* 18. affiuitatem *B* infimum *oprstu Pall. plerique, α* in finem *nqv* affinium *ξς* dissidia *qναγδεζηκλμν* vidimus *ABbcdefghiklγδεζηκλμνπ* videmus *Rαβξϱστ*

antea duxisset. Ceteri, novis affinitatibus adducti, veteres inimicitias saepe deponunt: illa sibi ad confirmandas inimicitias affinitatis coniunctionem
191 pignori fore putavit. Neque in eo solum diligens fuit, ut accusatorem filio suo compararet: sed etiam cogitavit, quibus eum rebus armaret. Hinc enim illae sollicitationes servorum et minis et promissis: hinc illae infinitae crudelissimaeque de morte Oppianici quaestiones: quibus finem aliquando non mulieris modus, sed amicorum auctoritas fecit. Ab eodem scelere illae triennio post habitae Larini quaestiones: eiusdem amentiae falsae conscriptiones quaestionum: ex eodem furore etiam illa conscelerata exsectio linguae: totius denique huius ab illa est et inventa et ador-
192 nata comparatio criminis. Atque his rebus quum instructum accusatorem filio suo Romam misisset: ipsa paulisper conquirendorum et conducendorum testium causa Larini est commorata: postea autem quam appropinquare huius iudicium ei nuntiatum est, confestim huc advolavit, ne aut accusatoribus diligentia, aut pecunia testibus deesset; aut ne forte mater hoc sibi optatissimum spectaculum huius sordium atque luctus et tanti squa-

1. ante duxisset 17. Romam ipsa misisset 19. autem quum

1. antea *AB*ξ ante *R vulg.* 2. illa sibi — 4 putavit *om.* *q* π ς 5. sed — 6. armaret *om.* *q* α 8. illae *om.* *B* 10. muliebris *ed.* 1584. α π ϱ 14. illa om. α 15. huius] eius *AB* 16. atque his rebus: *in his verbis desinit p* 17. misisset: ipsa *AR* ipsa misisset *RO* 18. et conduc. *om.* *A* 20. quam *AB* quum *RO* 23. ne forte *h. l. desinunt q w; redit a*

loris amitteret. Iam vero quod iter Romam eius 68
mulieris fuisse existimatis? quod ego, propter vicinitatem Aquinatium et Fabraternorum, ex multis audivi et comperi: quos concursus in his oppidis? quantos et virorum et mulierum gemitus esse factos? mulierem quandam Larino, atque illam usque a mari supero Romam proficisci, cum magno comitatu et pecunia, quo facilius circumvenire iudicio capitis atque opprimere filium posset. Nemo erat illorum, paene dicam, quin ex- 193
piandum illum locum esse arbitraretur, quacumque illa iter fecisset: nemo, quin terram ipsam violari, quae mater est omnium, vestigiis consceleratae matris putaret. Itaque nullo in oppido consistendi potestas ei fuit: nemo ex tot hospitibus inventus est, qui non contagionem adspectus fugeret. Nocti se potius ac solitudini, quam ulli aut urbi aut hospiti committebat. Nunc vero 194
quid agat, quid moliatur, quid denique quotidie cogitet, quem ignorare nostrum putat? Quos appellarit, quibus pecuniam promiserit, quorum fidem pretio labefactare conata sit, tenemus. Quin etiam nocturna sacrificia, quae putat occultiora esse, sceleratasque eius preces et nefaria vota co-

3. et Venafranorum

3. Fabraternorum *ε* Frabraternorum *η ι* Frabaternorum *κ* Afraternorum *A B a c d e f h i k l o r s t u γ δ ζ* Fraternorum *n v α* Venafranorum *λ μ ν ξ ο π ρ σ τ* 7. illinc *coni. Gulielmus* 9. possit *a n o r t u v α ρ σ* 10. quin] qui *A* 16. inventus] repertus *n o v* 18. urbi *A B b c d e f g h m, O praeter α π* turbae *cod. Fr. α π* turpi *a n o r s t u v* 20. nostrorum *II praeter n o* 23 putet *II praeter a i m; α δ ε ζ*

gnovimus; quibus illa etiam Deos immortalis de suo scelere testatur, neque intelligit, pietate et religione et iustis precibus Deorum mentis, non contaminata superstitione, neque ad scelus perficiendum caesis hostiis posse placari. Cuius ego furorem atque crudelitatem Deos immortalis a suis aris atque templis aspernatos esse confido.

69 Vos, iudices, quos huic A. Cluentio quos-
195 dam alios Deos ad omne vitae tempus fortuna esse voluit, huius importunitatem matris a filii capite depellite. Multi saepe in iudicando peccata liberum parentum misericordiae concesserunt: vos, ne huius honestissime actam vitam matris crudelitati condonetis, rogamus: praesertim quum ex altera parte totum municipium videre possitis. Omnis scitote, iudices, (incredibile dictu est, sed a me verissime dicetur,) omnis Larinatis, qui valuerunt, venisse Romam, ut hunc studio frequentiaque sua, quantum possent, in tanto eius periculo sublevarent: pueris illud hoc tempore et mulieribus oppidum scitote esse traditum, idque in praesentia, communi Italiae pace, in do-

22. in communi Italiae pace, domesticis copiis esse tutum

8. quosdam] quos *B om. Abcdefghiklm δζ* 12. liberorum *αε* parentium *Barstα* 8. vos *om. bcdefghiklx* 14. condemnatis *degnouv* 17. dicetur *Παεηικλμνξτ* dicitur *γδζοπρσ* 18. valuerint *hvx* 19. possit *abdefgklnrstuα* possint *hvx* 21. et] ac *αε* 22. communi Italiae *Παβγδεζη* in comm. It. *κλμνξ seqq.* in dom. copiis esse totum *Παβγδεζ* dom. cop. esse tutum *rell. edd.*

mesticis copiis esse totum. Quos tamen ipsos aeque, et eos, quos praesentis videtis, huius exspectatio iudicii dies noctesque sollicitat. Non illi 196
vos de unius municipis fortunis arbitrantur, sed de totius municipii statu, dignitate, commodisque omnibus sententias esse laturos. Summa est enim, iudices, hominis in communem municipii rem diligentia, in singulos municipes benignitas, in omnis homines iustitia et fides. Praeterea nobilitatem illam inter suos, locumque a maioribus traditum, sic tuetur, ut maiorum gravitatem, constantiam, gratiam, liberalitatem assequatur. Itaque iis eum verbis publice laudant, ut non solum testimonium suum iudiciumque significent, verum etiam curam animi ac dolorem. Quae dum laudatio recitatur, vos, quaeso, qui eam detulistis, assurgite. [LAUDATIO CLUENTII, EX DECURIONUM LARINATIUM DECRETO.] Ex lacrimis ho- 197
rum, iudices, existimare potestis, omnis haec decuriones decrevisse lacrimantis. Age vero, vicinorum quantum studium, quam incredibilis benevolentia, quanta cura est! Non illi in libellis laudationem decretam miserunt, sed homines ho-

23. laudationum decreta

4. unius] illius *B* 11. maiorem *αε* 12. gratiam *om. n Fr.* 1. itaque iis] ita quis *arstu* itaque *(om. iis) bcdefghikn* 13. publicis *bcdefgmε* 16. eam] iam *a – iorstuvαδζ* 17. laudatio — decreto *Gruterus ex mg. Lamb. invexit* 18. horum] ipsorum *hm* istorum *i* 21. quam incr. — cura est *om. bcdefghiklmx* 23. laudationem decretam *AB* laudationum decreta *BO*

nestissimos, quos nossemus omnes, huc frequentis adesse et hunc praesentis laudare voluerunt. Adsunt Frentani, homines nobilissimi; Marrucini item pari dignitate: Teano Apulo atque Luceria equites Romanos, homines honestissimos, laudatores videtis: Boviano, totoque ex Samnio quum laudationes honestissimae missae sunt, tum homi-
198 nes amplissimi nobilissimique venerunt. Iam qui in agro Larinati praedia, qui negotia, qui res pecuniarias habent, honesti homines et summo splendore praediti, difficile dictu est, quam sint solliciti, quam laborent. Non multi mihi ab uno
70 sic diligi videntur, ut hic ab his universis. Quam non* abesse ab huius iudicio L. Volusienum, summo splendore hominem ac virtute praeditum, vellem! [quam vellem] praesentem posse P. Helvidium Rufum, equitem Romanum, omnium ornatissimum, nominare: qui quum huius causa dies noctesque vigilaret, et quum me hanc causam doceret, in morbum gravem periculosumque

5. honestissimos homines 9. res pecuarias

3. Frentani *a — hlmoβγεηστ* Ferentani *Rδζιλμνξοπρ* Fientani *α* Marrucinii *AB* Marrutini *ουυα* Matrucini *ε* Marrucini item: pari dign. *sic distinguit ξ* 5. homines honest. *AB ahsxαεξ* honest. hom. *R vulg.* 6. Boiano *Π αδζ* quum] tum *ς* 8. *post* amplissimi *b addit:* et summo splendore praediti 9. Larinate *sα* 10. pecuniarias *Π αβγεηθικλμνξ* pecuarias *δζπρστ* 11. est *om. B* 13. iis *AB* quam non] quando *Π αδζ* 14. huius] hoc *ξ* Volusenum *θικμ* 16. quam vellem *om. Π et edd. ante Lamb.* possem *Π praeter ai, αβγδεζηθικλμν* 18. causa *om. B*

incidit; in quo tamen non minus de capite huius, quam de sua vita laborat. Cn. Tuditii Senatoris, viri optimi et honestissimi, par studium testimonio et laudatione cognoscetis. Eadem spe, sed maiore verecundia, de te, P. Volumni, quoniam iudex es in A. Cluentium, dicimus. Et, ne longum sit, omnium vicinorum summam esse in hunc benevolentiam, confirmamus. Horum omnium 199
studium, curam, diligentiam, meumque una laborem, qui totam hanc causam, vetere instituto, solus peroravi, vestramque simul, iudices, aequitatem et mansuetudinem una mater oppugnat. At quae mater? Quam caecam crudelitate et scelere ferri videtis: cuius cupiditatem nulla umquam turpitudo retardavit: quae vitiis animi in deterrimas partis iura hominum convertit omnia: cuius ea stultitia est, ut eam nemo hominem; ea vis, ut nemo feminam; ea crudelitas, ut nemo matrem appellare possit. Atque etiam nomina necessitudinum, non solum naturae nomen et iura mutavit: uxor generi, noverca filii, filiae pellex: eo iam denique adducta est, ut sibi prae-

3. et testimonio

1. quo *om.* *B* 2. Tuditi *B* Tudici *Aabcdefghkno*, *edd. ante* *π* Tudicii *πρστ* 3. testimonio *AB* et testimonio *ahiklmno*, *edd. omnes ante Graev.* *ρσ* et testimonium *bcdefgrstuv* in testimonio *Fr.* 1. *πτ* 5 Volumini *Bm* quoniam] quin es *om.* *rstuv* 7. omnium *om.* *B* 8. omnium horum *A* 11. vestrumque *Brst* 13. caeca *abcdefghikm* 22. uti *Baostuαξ*

ter formam nihil ad similitudinem hominis re-
200 servaret. Quare, iudices, si scelus odistis, prohibete aditum matris a filii sanguine: date parenti hunc incredibilem dolorem ex salute, ex victoria liberum: patimini, matrem, ne orbata filio laetetur, victam potius vestra aequitate discedere. Sin autem, id quod vestra natura postulat, pudorem, veritatem, virtutemque diligitis: levate hunc aliquando supplicem vestrum, iudices, tot annos in falsa invidia periculisque versatum, qui nunc primum post illam flammam, aliorum facto et cupiditate excitatam, spe vestrae aequitatis erigere animum et paulum respirare a metu coepit: cui posita sunt in vobis omnia: quem servatum esse plurimi cupiunt, servare
201 soli vos potestis. Orat vos Habitus, iudices, et flens obsecrat, ne se invidiae, quae in iudiciis valere non debet, ne matri, cuius vota et preces a vestris mentibus repudiare debetis, ne Oppianico, homini nefario, condemnato iam et mortuo,
71 condonetis. Quodsi qua calamitas hunc in hoc iudicio afflixerit innocentem: nae iste miser si, id

1. reservarit 8. pudorem, bonitatem 22. miser, iudices, si

1. reservaret *ABorstuvα* reservarit *R vulg.* 2. prohibit[illegible] *ABacgru* 3 parenti *om. B* 5. patiamini *μν* 8. veritatem *AB'b* bonitatem *RO* 12. facto] fraude *con[illegible]* *Ern.* facinore *τ* 21. condemnetis *ahm* 22. miser, si [illegible] *Barstuvα* miser, iudices, si *R vulg.*

quod difficile factu est, in vita remanebit, saepe et multum queretur, deprehensum esse illud quondam Fabricianum venenum. Quodsi tum indicatum non esset, non huic aerumnosissimo venenum illud fuisset, sed multorum medicamentum laborum: postremo etiam fortassis mater exsequias illius funeris prosecuta, mortem se filii lugere simulasset. Nunc vero quid erit profectum, nisi ut huius ex mediis mortis insidiis vita ad luctum conservata, mors sepulcro patris privata esse videatur? Satis diu fuit in miseriis, iudices: satis 202
multos annos ex invidia laboravit. Nemo huic tam iniquus, praeter parentem, fuit, cuius animum non iam expletum esse putemus: vos, qui aequi estis omnibus, qui, ut quisque crudelissime oppugnatur, eum lenissime sublevatis, conservate A. Cluentium: restituite incolumem municipio: amicis, vicinis, hospitibus, quorum studia videtis, reddite: vobis in perpetuum liberisque vestris obstringite. Vestrum est hoc, iudices, vestrae dignitatis, vestrae clementiae: recte hoc repetitur a vobis, ut virum optimum atque innocentissi-

10. reservata

1. in *om.* *ABarstuvα* 2. quereretur *ABas* 4. *prius* non *om.* *rtuv* 7. se filii *om.* *B* se *om.* *A* 8. perfectum *κμ* profecto *a* — *m* 10. conservata *Π* *praeter* *m*; *αδεζ* reservata *rell. edd.* 13. non animum *AB* non *om.* *anorstuvα* 16. eum *om.* *nórstuv* 17 A. *om.* *bdefghiklorstu* 20. vestrae dignitatis *om.* *ed.* 1584. *oπρσ*

mum plurimisque mortalibus carum atque iucundissimum his aliquando calamitatibus liberetis: ut omnes intelligant, in concionibus esse invidiae locum, in iudiciis veritati.

1. carissimum ξ

ADNOTATIO CRITICA

AD

ORATIONEM

PRO

A. CLUENTIO HABITO.

ADNOTATIO CRITICA.

Pag. 3. *PRO A. CLUENTIO HABITO*] *Habiti* cogno-
:n olim in omnibus editionibus sine ulla suspicione vulgaba-
·. Primus Lambinus magno Cuiacio morem gessit, qui ad
ulli S. R. III. tit. 4. librariorum errore illud ubicumque
pareret, natum esse contendit, et antiquam, quae illi vi-
ɔatur, formam, *Avitus* ex Florentino Pandectarum (l. 39.
de poenis XLVIII. 19.) codice restituendam censuit. Sed
in hoc quidem illud, quod a Lambino receptum ceteri
ınes iusto cupidius arripuerunt, *Avitus*, legitur, sed *Abitus*,
a aspiratione abiecta, quod vitium in sexcentis nominibus
am bonos et vetustos libros insedit, sicut in paucis nostro-
m h. l. apparet. Nobis quidem multo tutius, immo neces-
rio illa nominis forma reducenda videbatur, quam per
tam orationem longe plerique et praestantissimi codices
hibent, quamque Quinctiliani libri ad unum omnes pluri-
ıs locis constanter tuentur: cfr. l. IV, 2. 16. *) V, 10. 68.
ccedit quod nihil novi aut insoliti in Habiti nomine inest,

*) Spaldingius ad h. l. haec observat: *Habitus: sic fere libri, nisi quod Camp. Abitus, quod propius abest a scriptura in Ciceronis codd.* (immo in editionibus) *obtinente Avitus: Quintilianeos libros ad Ciceronianos immutare in re incerta non est necesse.*

quum et alia cognomina ex simili participiorum origine formata saepius legantur, ut *Ambustus* in Fabiis, *Potitus* in Valeriis, *Novatus* in Annaeis, *Tacitus* in Corneliis, et ipsum nostrum in veteribus monumentis exstet: in Fastis Capitol. ap. Gruter. C. Inscr. n. 205. hoc titulo: *Vibius. C. F. C. N Habitus*; et sine aspiratione in vetusto lapide apud Fulvium Ursinum: *Aur. Abitus Mil. Coh. X. Pr.* — Errorem summi viri nimis diu propagatum primus notavit Niebuhr. Mus. Rhen. I. 3. p. 223.

AD JUDICES] Antiquam formulam, nequaquam vanum commentum ex egregio codice Salisburgensi recepimus: eadem inscriptio in vetustis editionibus, Mediolanensi et Beroaldina, orationibus pro Murena, pro Plancio, pro Sylla praefixa immerito in recentioribus omnibus intercidit.

P. 3, 4. *altera*] Quamquam mire accidit, ut cum vetere Gulielmi coniectura *alteram* consentiat palimpsestus Taurinensis, nihil tamen minus verum est. Nam ut nihil dicam de membrorum aequalitate haud temere tollenda, magis etiam vera structurae ratio obstat, quum *accusator* haud dubie ad verbum *videbatur* subintelligendus, *altera* utrobique pro sexto casu habendum sit.

4, 4. *pars et ea*] *et*, quod addidimus, soli Taurinensi debetur: sed eodem ducit prava plurimorum codicum scriptura *est*. Et multum sane oratio, inserta particula, profecit: clauditur enim hiatus quidam verborum in vulgata lectione male offendens, et commode illud indicatur, quo praecipue nititur orator: fieri id, quod minus exspectetur, ut propria iudicii causa facile possit absolvi, suspicio autem et popularis rumor ampliorem dicendi materiem praebeat.

11. *in hac difficultate*] Nescio unde deterioribus codicibus istud *tanta* adhaeserit, quod in omnibus editionibus legitur: melius certe omittitur: nam indicata quidem, non descripta erat difficultas, quae *quanta* sit, postea audiemus.

14. *omnem dissolutionem*] Immerito, ut recte vidit Orellius, Peyronio scriptura Taur. *omnium* placebat. Turbat illa veram sententiam, cuius elegantia in eo vertitur, ut criminum *omnis* defensio ab oratore exspectari, invidiae diluendae *pars* etiam a iudicum fide sperari posse dicatur. Sed eidem huius sententiae luci non minus vulgata distinctio offecit, qua post verbum *potuerit* plene interpungebatur: nam illius difficultatis consolatio non magis in eo posita est, quod criminum dissolutio patrono soli incumbat, quam in eo, quod invidiae defensio maximam partem ei remittatur.

5, 4. *sine vestro ac sine talium virorum subsidio*] Est gravior quaedam in his verbis difficultas, quam quae silentio praetermittatur, quamquam interpretum neminem vexasse videtur. Num enim *tales viri* a iudicibus diversi sunt, quos compellat orator: *vestro subsidio?* Non sunt: nam quum tota res a iudicum voluntate pendeat, alii, sive testes, sive advocati, quorum auxilio invidia pellatur, ne cogitari quidem possunt; praeterea, quod non minus grave est, *tales viri* solenni quadam et honorifica appellatione Ciceroni in orationibus iudiciariis iudices audiunt: sic pro Quinct. c. 16. 53: *at hoc tibi esset apud talis viros confitendum.* c. 26. 81: *hoc consilium Aquillio et talibus viris — probabitur?* pro Rosc. Am. c. 19. 54: *huius miseri fortunis et horum virorum talium dignitati illudere.* Div. in Caec. c. 16. 51: *non esse hos talis viros commissuros.* Quare moleste h. l. copulam *ac* intrusam ferimus, quae aperte duo hominum genera disiungit, quorum subsidium imploretur: nobis quidem prope necessarium videtur, quod ex coniectura dare non sumus ausi: *sine vestro, sine talium virorum subsidio;* ita ut altero membro non novum quid, sed idem gravius proferatur.

10. *Non est nostri ingenii*] Imprudenter Beierus ad Cic. fragm. p. 232. Quinctiliano potius obsequendum duxit, qui verbum *est* omisit (IX, 3, 81.) quam Ciceronis codicibus, in quorum nullo desideratur. Dum ille languescere orationem inculcato v. *est* pronuntiavit, non vidit necessario utrumque membrum esse distinendum, quia ad prius: *non est nostri ingenii* ex praecedentibus infinitivus: *tantam opinionem – evellere* unice cogitari potest, ille autem, qui sequitur: *huius innocentiae — subvenire* nonnisi ad alterum membrum: *vestri auxilii est* pertinet. Quare ne potuit quidem abesse v. *est*, quod illi languidum videbatur.

15. *veritas habet*] In magno codicum consensu non amplius dubitari potest, quin scriptura illa, quam praeter principem omnes antiquae editiones exhibent: *falsitas*, ex vetere correctione nata sit. Et quicquid obloquitur Fulvius Ursinus, pessime egit correctoris manus, quae veram sententiae oppositionem pessumdedit: nam satis mox indicatur, quaenam sint illa loca, quibus *veritas* spernatur: conciones seditiose concitatae, hominum imperitorum coetus. At in iudiciis *falsa invidia* repudianda est.

6, 3. *ne quid huc*] Placere possit optimorum codd. scriptura: *ne quid huic*, praesertim quum similis locus comparetur c. 51. fin. ubi ex iisdem MSS. restituere non dubitavimus: *si quam huic graviorem — opinionem attulistis*. Sed illic dativus ab adiectivo pendet, h. l. quo commode referretur, non haberet: tum quoque *huc* necessarium videtur iam propter illud, quod sequitur: *nisi hic ex ipsis causa iudicabimus*.

9. *oratio labefactabit*] h. l. ut saepe, egregium Lambini iudicium praestantissimis subsidiis sapienter usum, quod Gruterus indigno quodam livore persequitur, post diligentiorem recentium criticorum operam clarius apparet. Quis nunc in tanto optimorum librorum consensu iteratum illud *ratio* ferat, quod frustra Gruterus et Graevius mediocrium suorum codicum auctoritate fulciunt?

15. *peroraro, tum*] Probam istam huius loci scripturam cod. Salisburgensis et pal. Taur. firmant: magna reliquorum varietas (*peroratum erit, fuerit*) aperte orta est ex lacuna illa temere suppleta, quae in optimo Florentino nostro intacta mansit: *per . . . tum.*

16. *animo*] vulg. *a me*: veram lectionem diu oblitteratam bene restituit Orellius. *Animo requirere* nihil aliud est, quam quod modo dixerat: *tacitum cogitationi subiicere*: quod enim inter ipsam defensionem iudices facere vetuit orator, id ut faciant absoluta oratione, hortatur.

9, 7. *et pro vivo*] Non languet alterum *pro*, quod ex multis iisque optimis codd. restituimus. Nam quum utrumque adiectivum (*incolumis* et *vivus*) solito quodam dicendi usu facile ad eandem salvae vitae significationem referre possent, disertius erant, repetita praepositione, disiungenda, ut *incolumis damnato* eodem modo opponi appareret, quo *vivus mortuo* objicitur: *incolumis* enim h. l. is est, qui numquam damnatus nullam in iudiciis offensionem accepit. Quod si recte tenetur, etiam in sequentibus praestantia eius lectionis intelligitur, quam duobus nostris egregiis libris debemus: *hic — accipere* pro *huic — accedere*. Nam incolumi adhuc Cluentio, non erat verendum, ne quid novae offensionis ei accederet, sed ne ullam omnino acciperet. Lambinus, qui eundem sensum quaesivisse videtur, *accidere* dedit pro *accedere*, sed sine codicum auctoritate. — Denique si quem in iis, quae rescripsimus eosdem libros secuti: *sensu ac molestia*, diversum nominum genus offendat cum adiectivo unius generis coniunctum: *acerbissimo*, observet is eandem licentiam saepius a Cicerone admissam, v. c. pro Sestio c. 2. 5: *de studio conservandae salutis communis et otii.*

17. *petam*] *repetam*, quod vulgo editur, in nullo codice apparet, sed ex inutili correctione natum est: simplex verbum eodem modo positum est infra c. 21. 58: *incipit longo et alte petito prooemio;* pro Caecina c. 4. 10: *si forte videtur altius initium rei demonstrandae petisse.*

10, 1. *facile princeps*] Est huius loci geminus plane pro Rosc. Am. c. 6. 15: *S. Roscius, pater huiusce, municeps Amerinus fuit, quum genere et nobilitate et pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius vicinitatis facile primus* cett., ita ut suspicari possis, adverbium *facile*, quod nostro loco optimi duo codd. non agnoscunt ex illius aut similium locorum memoria huc invectum esse.

10. *scelere coniuncta*] Optime hanc lectionem omnium fere librorum Garatonius a Graevii inprimis suspicione vindicavit, qui *coniungi aliqua re* latine dici negaverat et cum aliis *convincta* dederat: affert ille locum ex Phil. V, 7. 20: *huius mendicitas aviditate coniuncta.* Adde de Orat. I, 57. 243: *dicendi vis egregia summa festivitate et venustate coniuncta.*

12. *in omni causa*] Haec scriptura, quam ex codicibus suis Lambinus eruit, quamvis superciliose Gruterus eam fastidiat (*insulse, si modo quid sentio!*) eumque sequuti recentiores omnes spreverint, tamen unice vera est, et nunc duobus optimis nostris luculenter confirmatur. Nam illud ipsum, quod Orellius nuper in vulgata inesse dixit, ut quasi invitus Cicero, quam aliter nominare non possit, matrem se appellare dicat, verae oratoris sententiae contrarium est: consulto enim et dedita opera nomen tam sanctum et venerandum, quantum fieri poterit, immani Sassiae ferociae oppositum, eoque impium eius furorem manifestius declaratum esse cupit: non igitur *nominis causa*, sed praemeditato consilio *in omni causa* matrem eam appellandam statuit, *neque umquam* h. e. nulla orationis parte, *ita de sua scelere et immanitate audiet, ut naturae* h. e. matris *nomen omittat.*

11, 2. *non pudicitia*] Non leguntur haec verba in primariis codicibus: nolim tamen h. l. iis obsequi, quia propter similitudinem praecedentium verborum (*non pudor*) illa facile excidere potuerunt, et ad sensum satis ab iis differunt: nam *pudor* ex universo humanitatis sensu exoritur, *pudicitia* ad feminae et matris dignitatem spectat: coniungit

eadem verba Sallust. Catil. c. 12: *pudorem*, *pudicitiam*, *divina atque humana promiscua.*

25. *ominibus omnium*] Hunc locum iam pridem recte in veteribus edd. constitutum Graevius denuo vexavit, qui mediocris sui codicis auctoritate ductus *omnium* expunxit, nullum huius genitivi locum esse censens: sed miror eum non vidisse oppositionis causa genitivum *omnium*, quum praecedant illa: *nullis auspicibus*, *nullis auctoribus*, prope necessario requiri: quum *nemo* testis et auctor sceleratarum nuptiarum esse vellet, *omnes* eas infaustis auguriis prosequebantur. Cum longe plerisque MSS. (nam qui *omnibus* exhibent pro *ominibus*, non vere dissentiunt) etiam Quinctilianus facit IV, 2, 121.

12, 4. *nonne timuisti*] h. l. etiam contra Quinctilianum cum optimis libris vulgatam scripturam (*non timuisse*) deserendam duximus: nihil enim orationis gravitate dignius videtur, quam ut, omissa iudicum appellatione, quasi rei atrocitate commota ad ipsam Sassiam convertatur, deinde veluti culpae conscientia ista obmutuerit, maiore contentione ad iudices redeat: *Perfregit ac prostravit* cett. Eodem remedio infra c. 65. 182. simili loco colorem suum restituemus.

11. *dedecus familiae*] *iam*, quod vulgo his verbis interseritur, si minus codici Franciano, at certe optimis nostris iure cessit: haud dubie enim ex simili sequentis nominis initio (*familiae*) natum est. Mox pro *autem* multo aptius videtur *etiam*, sed nullo codice firmatur.

16. *Nam quae videre* cett.] Hic locus vulgo sic legebatur: *ne quam videre — — poterat*, *ea si matre uteretur* cett. In quo primum illud offendit, quod, quum causa omissae matris consuetudinis ex factis ipsius petita requiratur, in persona eius ratio consistat. Tum autem verbum *probare*, quod in rebus iudicandis usitatum est, parum commode ad matrem ipsam referretur. Denique in verbis: *ea si matre uteretur*, quid pronomen sibi velit, nemo facile dixerit: nam hoc sic positum esset, quasi Sassia non revera Cluentii mater

esset, sed *tanquam matre* ille ea uteretur. Quibus, puto, incommodis motus Garatonius ingeniose scribendum censuit: *ne, quae videre* — — *ea, si matre* rell. quod recipere non dubitassem (ut recepit Orellius), nisi vera huius loci forma, quae eundem sensum, paulum immutata ratione, continet in optimis nostris codd. conservata esset: *nam quae* — *ea, si matre* — — *putaretur*. Gravius sic, quod haud dubie factum esset, exprimitur, quam si metus tantum, ne forte illud accideret, esset indicatus.

13, 8. *atque ipsa natura*] *in*, quod vulgo ante *ipsa* inseritur, non agnoscunt praestantissimi libri: recte: nam sic facilius genitivus *hominum* etiam ad *naturam* refertur, quod ratio postulat.

9. *qui ad hominum pericula defendenda adiungerer*] Nusquam clarius praestantia codicum A et B elucet quam hoc loco, quem soli ad priscam sanitatem reduxerunt. Vulgata scriptura: *quum ad amici pericula adhiberer*, quamvis omnes editores fefellerit, tamen si accurate eius sensum excutias, nequaquam potest defendi: nam aperte causa desideratur, quare Cicero se melius etiam quam ceteros, quod in hominum natura positum sit, perspicere dicat: at istis verbis contrarium continetur: id enim ipsum, quod ad amicum defendendum accedat, (et quando Cicero Cluentium amicum suum dixit?) excusationem aliquam violentioris Sassiae insectationis habere possit. *Amici* igitur stare non potest: *hominum* unice verum est: nam hoc dixit orator: »quam legem humanae naturae insitam omnes cognitam habent, eam ego non noverim, quem ipsum vitae institutum, quem proprium causarum dicendarum studium ad naturalis hominum sensus et affectus penitus percipiendos vocat?« — Ceterum corruptelae origo et progressus in codicum vestigiis aperte conspicitur: *hominum*, *omnium*, *animum*, quod plerique exhibent, *animi*, *amici*, quod ipsum in paucissimis libris diserte legitur. Conferantur etiam similes loci c. 18. 51: *illi aetati solere laudi dari, etiamsi in minus firmis causis hominum periculis non*

defuissem c. 57. 167: *omnis mihi cura et opera posita sit in hominum periculis defendendis*, quo loco item *hominum* pro vulg. *omnium* recepimus. — *Qui* pro *quum*, quod Lambinus quoque in MSS. invenerat, et maxima pars nostrorum tuetur, restituta voce *hominum* non minus necessarium est, quum perpetua vitae ratio, non fortuita huius causae occasio respiciatur. — Denique *defendenda* — *adiungerer* optimos libros sequutus rescripsi, utrumque paulo exquisitius, quam quod vulgatur.

19. *sed vero sic agitur*] vulg: *sed ea vero sic agit:* at si ista active enuntianda fuissent, praeteritum certe requirebatur *sic egit*: nunc multo aptius conditio rerum describitur: *sic agitur;* quae sana loci scriptura ab iis turbata est, qui particulas *sed vero* coniungi posse non putarunt; séd non desunt huius usus exempla apud Ciceronem in gravi oppositione v. c. Verr. V. c. 6. 14: *O praeclarum imperatorem, nec iam cum M.' Aquillio, fortissimo viro, sed vero cum Paullis, Scipionibus, Mariis conferendum!*

Mox 14, 1. *reticeri* pro eo, quod vulgo editur: *reticere* prorsus necessarium erat: nam quid Sassia silentio praeterire possit, h. l. non quaeritur.

p. 15, 9. *sperare potuerit*] »Libri MSS. habent: *sperare potuerit*: unde mihi orta suspicio est, legendum: ut neque accusator timere debuerit, neque reus sperare potuerit.« Haec Lambinus: sed coniectura eius opus non est: nihil enim impedit, quo minus accusator quoque ne *potuisse* quidem timere ob manifestam rei culpam apte dicatur. Facit tamen eius librorum auctoritas cum optimis nostris ad tuendam pro vulgato *debuerit* scripturam *potuerit,* quae sane praestantior est: nam qui timere sive sperare non debebat, is tamen fortasse timet et sperat: utrumque fieri non potuisse, hoc utique demonstrandum erat.

11. *Staienum:* sic hoc nomen esse scribendum, non *Stalenum*, quae est forma ante Orellium ab omnibus vulgata, docuit Ill. Niebuhr. ad Cic. fragm. pag. 57. Nam

haec est constans nominum istorum, quae in — *enus* exeunt, ratio, quod a simplicibus nominibus in — *ius* terminantibus derivantur. Quemadmodum igitur a Volusio fit Volusienus, a Nasidio Nasidienus, a Pupio Pupienus, a Labio Labienus, sic etiam a Staio Staienus efficitur.

14. *M. Aurium* cett.] Haud negligenda videbatur in eo loco, quo personae contortae sane et implicitae narrationis primum inducuntur, expressior nominum designatio, quam optimi codd. praebebant, ut praeter vulgarem usum bis poneretur post fratrum duorum praenomina nomen gentile *Aurius*: quae ratio eo magis probanda videtur: quia eorundem librorum fidem sequuti duos Numerios nacti sumus in eadem familia, non eodem patre ortos; rem sane mirabilem, sed eiusmodi, ut a librariis facilius oblitterari, quam ultro inveniri potuerit.

16, 14. *quem tamen unum*] Sic recte recentiores ediderunt: olim *tum* et *tantum* vulgabatur, utrumque satis otiosum: *tamen*, quod in optimis codd. invenitur, eleganter solatium quoddam exprimit, quod post tot continua funera domestica Dinaea, necopinato nuntio de unici filii vita accepto, ipsa sibi suggerit. Similem consolandi et quasi deliniendi vim particulae *tamen* in his locis animadvertimus: pro Quinct. c. 26. 80: *est quaedam tamen ita perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit.* pro Rosc. Am. c. 3. 8: *si vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine sequuti.* c. 36. 104: *huc accedit, quod paulo tamen occultior atque tectior vestra ista cupiditas esset.* Div. in Caec. c. 15. 48; *aliquantum remittet, ut tu tamen aliquid esse videare.* pro Ligar. c. 12. 34: *qui si consilio id fecisset, esset eorum similis, quos tu tamen salvos esse voluisti.*

17. *HS quadringenta millia*] In magna codicum varietate vetustissimum testem, pal. Taurinensem sequi tutius videbatur, ad quem duo optimi proxime accedunt. Ex re quidem nihil decerni potest, quamvis satis amplum videatur

in municipio Appuliae quadringentorum millium HS legatum (h. e. viginti millium fere thalerorum) et omnem fidem superet decies centenorum millium HS summa, quae in plerisque codd. conspicitur. Quod vulgo in edd., etiam Ernestiana, legebatur, *CCCCIↃↃↃↃ millia* plane ridiculum est: nam efficit hoc ingentem summam decies centenorum millenorum millium sestertiorum. — Ceterum notandum, siglam illam, quae in multis MSS. apparet: CCCCLIIII nihil aliud significare quam usitatiorem hanc: CCCCIↃↃↃↃ: est haec satis antiqua scribendi ratio, ut CLI idem valeat quod CIↃ, et decemplicia inde efficiantur apponendo ex altera parte signo C, ex altera I. Monuit hoc Gruterus ad Verr. II. c. 59. post Pierium Valerian. Hieroglyph. XXXVII. p. 274. ed. Bas. a. 1556.

17, 1. *his diebus paucis*] Immerito ab Ernestio *his* in suspicionem vocatum est: Garatonius huius dictionis sensum bene explanavit: *aliquo ex paucis eorum dierum*, *qui tum decurrebant*. Est locus simillimus infra c. 39. 108. *paucis diebus illis ipse privatus factus est.* Sic antem pronomen *his*, quo res praeterita quasi ob oculos ponitur, non minus apte usurpatur, quam *iis*, quod Garatonio placebat et ab Orellio receptum est.

3. *vestigandum*] vulg. *investigandum*: simplicem formam ex optimis codd. praetulimus, rariorem illam, sed non minus probam: vid. de Orat. II. c. 39. 166: *causas rerum vestigabimus.* III. c. 23, 88: *aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges.*

12. *illius adolescentis suosque necessarios*] vulgo *propinquos* additur post *adolescentis*, quod trium optimorum codd. consensum sequuti delevimus: nam quum ipsi illi, qui in Galliam profecti sunt, propinqui Dinaeae et filii eius saepe appellentur, iidem homines et illorum et adolescentis necessarii habendi sunt: *propinquos* ex loco superiore §. 22: *omnis suos propinquos filiique sui necessarios* etiam h. l. in plerosque codd. irrepsisse videtur.

16. *et M. illius Aurii perpropinquus:* sic optime dederunt Taur. Palimpsestus et optimus Florentinus: nam omnes quidem Aurii propinqui erant illius M. Aurii: sed Aulus iste propter arctius propinquitatis vinculum graviorem causam habebat, cur maxime commoveretur. Erat autem, nisi egregie fallor, hic A. Aurius, qui fortiter Oppianico resistit, nullus alius quam Melinus ille, qui c. 5. Cluentiam primum et tum divortio facto cum ea, Sassiam matrem eius in matrimonium duxerat. Quum enim c. 9. in. Oppianicus diserte illum Sassiae virum occidisse dicatur, erat haud dubie unus ex Auriis, quorum caedes h. l. narratur. Atqui *alter Aurius*, pater C. Aurii, qui mox memoratur, non potuit dici *adolescens inprimis honestus et nobilis*, quum ipse haberet filium robustum; eius filius autem *C.* nominatur, Melinus ille *A.* Restat igitur unicus noster *A. Aurius*, *vir fortis et experiens*, qui, quamvis fuerit adolescens h. e. triginta fere aut quadraginta annorum, commode sic designari potuit. Nam illud non video, quo iure suspicetur Sylvius Aurium Melinum alia nescio qua occasione ab Oppianico interfectum esse, eiusque caedem in transcursu nominari, ut putent iudices, multa illius crimina a Cicerone praetermitti.

17. *multis audientibus*] Non inutile videtur, ad naturam codicum, quibus magna in vulgus fides habetur, recte aestimandam, monere, inter omnis, de quibus certum aliquid adnotatur h. l. vocabulum *multis,* de quo nemo dubitare potest, nonnisi in duobus optimis nostris et in pal. Taurinensi apparere.

19, 5. *tenebantur*] Hoc unice verum est, non illud, quod vulgo legitur, *terrebantur*: nam non solum *terrendi* erant ceteri, sed id, quod maxime Oppianicus agebat, *tenendi* h. e. silentio premendi, ne quis eum interfecti M. Aurii accusare auderet. Quae ratio ut plane perspiciatur, *itaque*, quod initio huius sententiae positum est, non pro particula conclusiva habendum est, sed pro composita ex *atque ita*.

21. *domo sibi quaerendum remedium existimavit*] *Domo* corruptum videtur Orellio, qui *quoquo modo* legendum esse censet. Cur tandem? Nihil acerbius dici potuit ad nefarium Oppianici consilium ignominia notandum, quam si caedem liberorum quasi *domesticum* eius remedium appellat. Neque sextus casus offendere potest: nam similiter dictum est, ut illud supra. c. 2. 6: *si ad causas iudicia iam facta domo deferemus;* et Phil. I. c. 10. 24: *haec uno, verum optimo auctore domo prolata defendimus.*

20, 18. *spe optime confirmato*: vulg. *optima*: sed non tam quanta quamque fausta iam sperare potuerit Sassia, quaeritur: sed ipsa unam tantum et certam spem, scilicet amplioris hereditatis, Oppianici liberis interemptis, fovebat, et nunc quidem, perpetrata caede, hac spe animum suum optime confirmatum videt.

20. *ita quod ceteri*] sic habent codd. plures et meliores et edd. antiquae, quod a novissimis editoribus, ab Ernestio, cui *quod* spurium videbatur, a Schützio, qui: *quum — soleant* reposuit, et ab Orellio, qui *itaque ceteri* praetulit, non debebat turbari. Illi enim omnes non attenderunt ad eum usum coniunctionis *quod*, quo ad exponendam diversarum inter se partium oppositionem adhibetur; maxime ubi ex numero aliquo *ceteri* opponuntur *uni* aut *paucis*, qui inde eximuntur. Hac eadem ratione infra c. 67. 190. vera loci forma, quam ex codd. restituemus, haec est: *Ita quod apud ceteros — saepe fieri divortia videmus*: *haec mulier* cett. item pro Fonteio c. 9. 20: *Quod ceterae pro religionibus suis bella suscipiunt*, *istae contra omnium religiones.*

21, 2. *iucundum*] Optimos libros sequuti vulgatam scripturam *iucundius* deseruimus, et, iure, opinor. Nam quod Sylvius olim dixit, et reliqui editores probasse videntur, *iucundius* referendum esse ad *cupidiores*, id verum non est; nulla esset inter utrumque comparativum, si admitteretur, coniunctio: nam ad alterum: *cupidiores* intelligendum est: *quam alii homines, qui liberos non habent*; idque excusationem

aliquam continet: nihil tale ad *iucundius* potest cogitari. Oppianicus potius novam et inauditam viam ingressus a caede liberorum propter pecuniam non abhorrebat, sed eam *iucundam esse* duxit: nihil facile reperies, quo comparativus, si ponatur, commode trahatur.

17. *quem omnes oderant*] *omnes* ex optimis MSS. additum quantum ad augendam sententiae gravitatem faciat, optime intelligitur, si quis singula huius oppositionis accurate institutae membra persequatur: quicquid enim in praesenti iudicio locum non habet, id omne in Iuniano iudicio quam maxime adfuisse, insigni quadam vi ostenditur. Omnia igitur in altera parte intenduntur et amplificantur: quum hinc dicatur: *in quem iudices non estis*, illinc opponitur: *de quo iurati sententias ferre debebant*; quum hinc: *quem non videtis*; illinc: *cuius praesentis nefarium et consceleratum vultum intuebantur*: sic igitur illud: *quem odisse non potestis* h. e. quem nemo adit, nihil aptius habet oppositum, quam hoc: *quem omnes oderant.*

22, 3. *propiora* unice verum videtur in magna librorum discrepantia: modo genitivus *huiusce* ad Cluentium referatur, et *causae* pro dativo accipiatur: id ipsum in scriptura nostra *huiusce* magis apparet, quam in vulgata *huius.*

13. *emori*] Non negligenda videbatur optimorum codd. scriptura, quae praecedentis verbi terminatione facile potuit oblitterari, pro vulg. *mori. Emori* autem Ciceroni est misere mori, sic infra c. 14. 45: *accusare, quoquo modo posset, quam illo modo emori maluit:* pro Rab. Posth. c. 10. 20: *fecisset certe, si sine maximo dedecore, tam impeditis suis rebus potuisset emori.*

23, 4. *ut una illud quod*] Hanc veterum edd. scripturam optimi codd. nostri tuentur. Quod Graevio, Ernestio, Orellio placuit: *ut una illa et quod*, id ex parte saltem otiosum est, quasi dixisset orator: interfecit mulierem, ut una illam et filium interficeret; sed vera sententiae ratio haec est: tum maxime, quum gravida erat, necavit mulierem, ut

eadem caede, quod conceptum erat, interimeret: mulieris enim interficiendae praecipua causa illa erat, ut partum eius deleret, quo ipse a fratris hereditate exclusus esset.

6. *poculo mortis*] Nulla codd. vestigia confirmant Gruteri suspicionem de delendo genitivo *mortis*, quam Ernestius et Schützius temere sequuti sunt: nam sane nullus erat in audaciore dicendi genere dubitandi locus. Sed iure mox v. 12. Ernestius offendit in adiectivo *propriam* vulgo ante *lucem* inserto: quod, quum commodam eius interpretationem non videam, optimorum librorum auctoritate eiicere non dubitavi.

24, 5. *mortem atque cruciatum*] Quinctilianus (VIII, 4.) haud dubie suum sensum potius quam Ciceronis verba sequutus, hunc locum sic affert: *vim atque cruciatum*, nam insolentius mors ante cruciatum posita est. Sed idem a Cicerone factum esse Verr. V, c. 52. 138. monuit Garatonius, quo nemo in idoneis exemplis colligendis sollertior.

8. *multos necaret*] Eandem hanc, quam ex optimis libris praetulimus, lectionem, Lambinus in vetustis suis invenerat: sic igitur auctoritate satis firmata esse videtur; ad sententiam vehementi accusationi bene eam convenire puto: eodem iure modo dixerat orator: ab Oppianici audacia *fratris liberos* ne materni quidem corporis custodiam tegere potuisse.

20. *a filio, si qui natus erit* h. l. et mox formulam iudicialem quae quasi extra structurae nexum posita est vulgatae scripturae praetulimus, quae ad solitam grammaticae normam conficta est. Etiam in Digg. ubi sermo incidit de huiusmodi hereditate instituenda, eadem aut similis dictio usurpatur: sic l. 29. pr. D. de liberis et posthumis: *si filius meus, vivo me, morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos sive quae neptis, post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus, nata erit, heredes sunto.* l. 29. §. 6. eodem: *quicquid sibi liberorum natum erit post mortem.* l. 5. §. 1. D. si pars heredit. pet.: *quocumque mihi nati erunt, et Lucius Titius pro virilibus portionibus heredes*

sunto. Quare illud non oscitantis librarii inventum esse videbatur, quod constans iureconsultorum usus probum et antiquum esse testatur.

25, 1. *cuius filium*] Ex optimorum codd. et pal. Taur. consensu ingenuam scripturam restituimus, quam pronomen *eum* initio apodoseos positum necessario flagitat. Vulgati erroris *(quum eius)* causa in coniunctivo *faceret* posita esse videtur, qui tamen eleganti et satis noto usu pronomen relativum sequitur, ubi vis coniunctionis *quum* in eo latet; vide modo c. 15. 40. *L. Clodius, qui properaret, cui fora multa restarent.*

4. *non longe animo prospexisse*] Addita ex optimis MSS. negatione veram huius loci rationem restauratam esse confidimus, cuius vis in eo cernitur, ut Oppianici audacia etiam cautissimam prudentiam elusisse ostendatur. Illud igitur initio posuit orator: *Quid de Oppianico suspicatus sit Magius, videtis: quid iudicaverit, obscurum non est* h. e. satis eum imminentia pericula providisse, quisque contenderit. Tum autem, ut appareat, quantum Oppianici furor quamlibet cautelam irritam fecerit, sic pergit: *Quid Oppianicus fecerit, cognoscite!* (hoc enim nemo vestrum suspicabitur) *ut illum Magium intelligatis non longe animo prospexisse morientem*: nam prospexit sane quod instabat: sed non longe prospexit, et suspicio eius quamvis iusta, tamen non satis provida fuit in tali audacia.

21. *Asuvii:* hanc nominis formam dedimus ex comparatione praestantissimorum librorum; h. l. quidem A et B nomen omittunt, errore haud dubie; sed mox p. 26, 11. uterque, sicut et Taur., primo casu diserte *Asuvius* exhibent: genitivus in Taur. *Asui* vel *Asuvi* scribitur, in nostris duobus *Ascii* vel *Asuivi*, quod eodem redit; *Asui* autem est a nominativo *Asuius*: nam — *uius* et — *uvius* in nominum terminatione inter se commutantur: quod idem fit in Pacuvio, Lanuvio, similibus.

22. *quam clara tum fuit, recenti re*] Ante Lambinum in plerisque edd. legebatur: *quam clara, quum recens fuit:* cuius scripturae vestigia in nonnullis MSS. apparent. Lambinus, quum meliorem *tum recenti re* reciperet (cfr. p. 38, 4.) verbum *fuit*, quod in omnibus codd. reperitur, abiecit, incommodo loco, quo illud sic ponebatur, ductus, ut opinor. Nos optimis libris ducibus vb. *fuit* post *tum* collocavimus, ubi nihil amplius offensionis habet.

26, 2. 3. *praeditus — accommodatus*] Revocavi priscam veterum edd. scripturam', quam miro consensu Florentini et Oxonienses omnes, Salisburgensis et Monacensis confirmant: de Taurinensi autem fateor me h. l. magno opere dubitare: quamvis enim Olivetus, ad cuius editionem Peyronius illum contulit, *accommodata* ediderit, puto tamen virum egregium pro prudentia sua, si ad hunc locum accurate attendisset, etiam consensum palimpsesti sui in ea scriptura, quae, quamvis cupide ab omnibus editoribus desiderata, nondum ex ullo codice neque a Grutero, neque a Graevio, neque a Lallemandio enotata erat, verbo fuisse indicaturum. Nemo quidem editorum inde a Naugerio iteratum participium ferri posse censuit: aut prius *praeditus* ex Gulielmi coniectura eiectum, aut *accommodata* editum est pro *accommodatus*. Hanc alteram autem rationem, quamvis plerisque placuerit, minime probandam esse puto: ars enim, quae nos ad aliquid perficiendum accommodatos facit, vix ipsa a Cicerone ad aliquid accommodata dici potuit. Sanior omnino sententia esse videtur, si participium *praeditus* cum Gulielmo damnes, modo ullum in codd. huius interpolationis vestigium appareat. Equidem, si quid mutandum est, pro *praeditus* potius rescripserim *praecipue*. Sed fortasse utrumque participium, sicut in omnibus MSS. legitur, defendi potest ita, ut alterum *arte quadam praeditus* causam alterius *ad libidines excitandas accommodatus* contineat, et in brevius contractum hoc dicatur: *Fuit Avillius, quia arte quadam ad id ipsum praeditus erat, ad libidines excitandas accommodatus.* Utrumque

participium, sed copulis satis disiunctum iterum legitur c. 29. 79: *L. Quinctius, homo quum summa potestate praeditus, tum ad inflammandos animos multitudinis accommodatus.*

9. *iniri enim consilium*] Primum multorum librorum auctoritate *id*, quod vulgo ante *consilium* additur, delevimus: consilio enim nondum exposito pronomen incommodum erat. Quo facto praestantia scripturae *iniri*, quam contra Taurinensem, qui *inire* praebet, optimi nostri tuentur, magis elucet: nam prior sententiae pars de ineundo consilio in universum, ideoque aptius per passivum enuntiatur, praesertim quum ad activum infinitivum, si poneretur, verbum *posse* nimio intervallo seiunctum haud facile referri posset. In altera autem parte, ubi addita particula *eiusmodi* res ex universali sententia in praesentem actionem translata est, cum libris omnibus *perficere* pro vulgato *perfici* recipere non dubitavimus.

20. *ibi diem*] A et B h. l. soli veram scripturam incorruptam repraesentant, omissa copula *et*, quae ante *ibi* incommode intrusa erat: eandem Taur. omittit, sed quum paulo ante *ubi* pro *ibi* exhibeat, quod festinantius Cl. Peyronius probavit, verum rursus oblitteravit. Vulgata scriptura *et ibi diem* intolerabilis erat: quamobrem a recentioribus Lambini coniectura *et ibidem diem* iure magis probabatur: nunc autem repetitum sine copula *ibi* eundem sensum fortius et elegantius exprimit.

27, 6. *discedit*] Merito Orellius Peyronii rationem improbat, qui, recepta forma *disceditur*, quae in Taur. et bona parte nostrorum legitur, sic distinguendum duxit: *appellat ipse. Testamento — disceditur.* Nam pronomen *ipse* priori sententiae annexum langueret: initio vero sequentis praepositum paene necessarium est: nam deinceps narratur, quid tribus illis hominibus, qui hanc fabulam egerunt, factum sit, cuiusque nomine praemisso: sed quum Oppianicus modo nominatus esset, *ipse* nominis locum obtinet, et eius quidem, qui totius negotii conditor fuerat. Quum autem

Oppianicum mox in foro Larinatium versantem videamus, profectio eius certe indicanda erat.

28, 9. *tum suffragiis*] Discessimus h. l. in leviore varietate ab optimis codd. qui *cum suffr.* exhibent, quod olim Gruterus probavit: sed praepositio vix stare potest; nova temporis definitio etiam post illa *in discordiis civitatis*, quae maius temporis spatium complectuntur, ad explendam oppositionem, quum praecesserint haec: *ad quam saepe perductus erat*, necessaria videtur.

12. *ac tum in Oppianici causa*] *tum* saepius in hac oratione sic nude positum ad Iunianum iudicium, quo Oppianicus condemnatus erat, et cuius invidia maxime Cluentium premebat, referendum est, vid. c. 12, 34: *quae tum ex tabulis Oppianici recitabantur.* c. 14, 40: *id quod ipsius tabulis tum est demonstratum.*

14. *alligatum Oppianici nomen primum*] De hoc loco, quo vulgo legebatur aut *inter allegatos* aut *inter alligatos Opp.* tres sunt praecipuae interpretum sententiae: una Turnebi Advers. V, 23. qui formam *alligatos* restituendam censuit, ut significaret *culpae affinis*, inter quos Oppianicus Avillii iudicio primus esset relatus. Hunc Lambinus sequutus est, in cuius editione ipso invito verba *inter alligatos* exciderunt. Altera ratio est I. Fr. Gronovii ad Liv. XXXVI, 11., quam Gruterus et Ernestius amplexi sunt: ille enim verba *inter allegatos*, quae tuetur, cum verbo *constabat* sensu arcte coniunxit, et *allegatos* pro iis accepit, qui testimonii cognoscendi causa a iudicibus ad Avillium missi essent. Tertia denique ab Orellio affertur, qui verba *inter allegatos* rursus ad illud *primum Oppianici nomen* trahit, sed *allegatos* eos esse suspicatur, qui ad Avillium de occidendo Asuvio ab Oppianico adornati sint. Sed hoc nemini facile persuadebit, quum Oppianicus solus totius consilii auctor fuerit. Gronovii ratio non magis placet, quia sic *Oppianici nomen primum esse* valde obscure dictum foret. In prima autem sententia non dubito de interpretatione verbi *alligare*; quae non-

nullis displicuit, ut *alligatus* sit *culpae obnoxius:* nam ad eam probandam facit et locus a Turnebo recte allatus: ad Quint. fratr. II, 3. *sed idem Nerius index edidit ad alligatos Cn. Lentulum Vacciam et C. Cornelium*, et similes loci infra c. 54. 148. *ubi enim (lex) omnis mortalis alligat, ita loquitur.* pro Rabir. Post. c. 6, 14: *ne qua nova quaestione alligaretur.* c. 7, 13: *vos senatus liberos hac lege esse voluit, populus numquam alligavit.* Sed participium *alligati*, quum non constet, quinam sint isti homines, abrupte nimis positum videbatur. Quare libenter optimorum codd. scripturam arripuimus, in qua nihil dubitationis reliquum est: *in quo alligatum Oppianici nomen primum esse constabat*, h. e. testimonio obstrictum et convinctum.

29, 1. *per quem interfecerat plurimos*] Haec verba quamvis multis post Lambinum suspecta visa sint, neque sine causa, tamen a nullo codice absunt. Quare statuendum videtur, Ciceronem ipsum hanc audacioris illius dictionis *(medicum saepe victorem)* explanationem necessariam habuisse.

21. *tabulas publicas Larini censorias*] Quinctil. IX, 3. sic hunc locum affert: *tabulas publicas violasse, censorias corrupisse.* Sed recte Gesnerus ad illum l. et Garatonius iudicasse videntur, verbum *violasse* ibi nonnisi ex nostro *Larini*, parum a librariis intellecto, esse ortum.

30, 4. *aditu*] Cod. B minus emendate habet *auditu*, quod iam *sermone* continetur; *aditus* autem a *congressione* ita differt, ut *aditus* domi eius, quem adimus, *congressio* quovis alio loco fiat.

12. *Oppianicus: erat:*] Minus caute recentiores editores, Ernestius, Schützius, Orellius quasdam vetustarum editionum sequuti vocem *erat* eiecerunt. Etsi enim complures codd. Florr. hanc rationem commendare videntur, tamen in omittendis verbis, quibus sensus facile carere possit, etiam optimorum nostrorum auctoritatem leviorem habendam esse duximus: nam numquam mihi persuadeo, iteratum illud *erat*,

quo gravitas orationis certe augetur, temere a librariis invectum esse.

17. *ut aut iuste pieque accusaret*] Iniuria magnus Gronovius de hoc loco dubitavit (ad Plin. XXXVI. 5.), tanquam accusatio matris et vitrici utique esset impia et iniusta, ideoque legendum censuit: *ut aut parum pie iusteque*, pro quo Iac. Gronovius maluit: *ut aut non iuste pieque*. At nulla est mutandi causa; iustitia enim et pietas etiam in tali accusatione inesse potest, modo cum humanitate et veritate instituatur, quod a Cluentio factum esse Cicero ostendit.

23. *et illi condemnari*] Quod Lambinus tacite dederat sive ex coniectura sive ex egregio suo MS., id nunc confirmant optimi nostri. Nihil est, quod Orell. alium locum c. 22. 62. comparari iubet: *reum condemnari — necesse fuisse*: nam quis dubitet, accusativum in hac structura stare posse? immo multo usitatior est: sed oppositio, quae nulla est in illo loco, h. l. quum praecedant haec: *aut huic accusare*, alterum dativum requirit. Nos contra tertio loco c. 26. 70. ubi ipse Orellius cum omnibus edd. dativum retinuit: *quamobrem Oppianico damnari necesse sit*, ex optimis libris quartum casum restituimus.

31, 5. *Veneri*] vulg. *Venerei* s. *Venerii*: illud autem, praestantissimis codd. firmatum, instituta comparatio unice flagitat: sic enim Martiales illi in familia Martis numerabantur, ut in Sicilia multi ministri publici Veneri h. e. in potestate eius erant et ministerio eius ita addicti, ut nonnisi a Dea manu mitti possent. Solum Veneriorum nomen, alioquin ex Verrinis satis notum et probatum (Div. in Caec. c. 17. 55. Verr. II. c. 38. 92. III. c. 20. 50. c. 25. 61. c. 26. 65. *)) de hoc nexu nihil magis probaret, quam ipsum Martialium nomen.

---

*) Inconstanter Orellius primo loco *Venereos* scripsit, postea *Venerios*.

32, 11. *postea aucta pecunia*] Huius loci distinctionem, quum vulgo ante v. *aucta* incideretur, sic mutavi, ut participium *aucta* pro nominativo habendum esse appareret, quod dictionis aequalitas, sequente altero membro *orbata filio*, flagitat. Eodem modo Cicero dixit pro Rosc. Am. c. 3. 9: *spoliis ornati et aucti*. Verr. V. c. 31. 80: *hac tanta praeda auctus*: et similia multa.

15. *Aletrinati*] Prisciano morigerandum duximus, ubi tam diserte pronuntiavit: accedunt quoque duo optimi nostri, qui in nomine errantes terminationem in — *i* servarunt.

33, 18. *Baebio*] hanc nominis formam, ut notam et probatam (v. in Pis. c. 36. 88.) recepimus suadente Garatonio: optimi codd. proxime ad illum accedunt, et infra c. 19. 53. plures libri diserte eam exhibent.

19. *qua diligentia*] Hanc egregiam scripturam, quam Lambinus in suis MSS. invenerat, confirmant codd. optimi. Nam in amici periculo defendendo *diligentia* opus est, non *dignitate*. Causa vulgatae corruptelae in solita librorum MSS. varietate posita est, qua non ad spernendam veram lectionem Orellius adduci debebat. Lambinum autem, etiam ubi tacite a receptis scripturis recedit, ubique fere ex bonis haurire fontibus, illud quoque ostendit, quod statim sequitur, *ne multa*, quod illi commune est cum praestantissimis codd. pro vulg. *ne multis*.

34, 2. *venenum diebus paucis comparatur*] Hic locus iam pridem misere mutilatus circumfertur, omisso verbo *comparatur*: quamvis alte reclamante sensu, nemo novissimorum editorum commotus est. Quid enim? Quomodo eodem tempore et venenum, quod emendum erat, et pecunia, qua illud empturus erat Scamander, in eiusdem hominis manu deprehendi potuit? Hoc tam absurdum est, ut tam manifesto mendacio apud cautòs iudices totius rei fides dubitationem incurrere potuisset. Quare certissime ex egregiis codd. restituendum erat illud *comparatur*, quod in vetustis

editionibus iam extabat. At iure quaeritur, unde tam grave vitium ortum sit, et penitus insederit in libris plerisque. Causa in manifesto est: nam genuina, quam nunc reposuimus, scriptura aperte cum iis pugnare videbatur, quae c. 17. 49. et 19. 53. narrantur: *Cluentius primum nomen eius detulit, cuius in manibus venenum deprehenderat*, et: *Scamandrum cum veneno pecuniaque deprehensum esse dicebat.* At nihil moveor. Multum refert, primumne res aliqua accurate exponatur, an postmodo in orationis cursu leviter tangatur. Res haud dubie sic gerebatur: quum in eo erat Scamander, ut pecuniam traderet, venenum acciperet, a prorumpentibus testibus deprehensus est: et hoc quidem initio diserte narratur; sed ubi manifesta culpa uno verbo complectenda erat, nihil mirum, Ciceronem artificio oratorio dixisse: *in cuius manibus venenum deprehensum erat*: nam pecunia veneni locum obtinebat. Eodem iure etiam deinde potuit contendere: *Baebius dixit, Scamandrum cum veneno pecuniaque deprehensum esse.* Nam praepositio *cum* latiorem sensum admittit, ut non in manibus liberti utrumque inventum esse intelligatur. Sed numquam dici potuit, nedum in ipsa facti expositione: *venenum et pecuniam in eius manibus deprehensum esse.* — Mox *ob* pro *ad* dedimus ex omnibus fere codd. Orellius h. l. negligenter ex Oxoniensibus nihil varietatis adnotavit: huius quoque corruptelae idem fons, qui superioris: sane enim, si verbum *comparatur* non praecesserat, scriptura *ob eam rem* h. e. veneni comparandi causa, ferri non potuit. — Denique copulam *que* vulgo nomini *pecunia* adnexam cum optimis libris omisimus; quo facto protasis illa: *multi — intervenissent*, multo aptius ad sequentia refertur, et tota sententia in pristinam suam formam restituta est.

35, 2. *unum crimen*] Quod in plerisque edd. inde a Iuntina vulgatur: *verum crimen*, nulla omnino codicum auctoritate nititur, sed nescio cuius coniecturae debetur: at nihil ieiunius: nam ubi aliquam huius causae propriam descriptionem exspectamus, nihil aliud diceretur, quam quod in

quavis causa excusandi gratia a quovis accusatore dici potuisset; *verum crimen!* Sed *unum crimen*, quae est constans librorum scriptura, ideo ab omnibus, praeeunte Sylvio, repudiatum esse videtur, quoniam idem sit cum *causa simplici*, quae modo dicta erat: quod verum non est. Nam *simplex causa* ad rationem actionis, quae in iudicio adhibetur, *unum crimen* ad res spectat, de quibus agitur, ita ut simplex causa esse possit, etiam ubi plura crimina deferantur, modo testes et argumenta in promptu sint; contra *in uno crimine* non raro impedita causa versetur; hac in causa unum crimen, quod expositum est, cum testium et argumentorum copia agebatur: tribus verbis, ut statim dicit orator, accusatum est: *venenum esse deprehensum.*

36, 21. *etiamsi in — defuissem*] Non debebat tentare Orellius locum sanissimum inutili coniectura: *etiam in — defuisse.* Est hoc elegantiae oratoriae, universalem sententiam singulari causa quamvis cum aliqua confusionis specie probare. Inversa ratione, sed ex eadem permutationis licentia, a causa singulari ad universalem sententiam transitus fit pro Mur. c. 4. 8: *Quum praemia mihi tanta pro hac industria sint data, quanta antea nemini; labores, per quos ea ceperis, quum adeptus sis, deponere, esset hominis et astuti et ingrati.*

25. *quod timide dicam*] Haec non modestiae causa, ut Sylvius interpretatur, Cicero adiecit, sed quod in tam turpi causa vix honestum videbatur, tantum a se esse praestitum.

37, 9. *ventura fuisse*] Sic rescripsi cum A et B pro vulg. *ventura esse:* necessario: nam Cannutius in accusatione Scamandri ea tantum, quae perfecto nefario consilio facta forent, commemorare potuit, et in ipsa repetitione eorundem verborum, quae modo ad excusandum prolata erant, ludibrium quoddam inest.

38, 7. *tota accusatione*] Optimis nostris codd. egregiam huius loci emendationem debemus: vulgo *et* addebatur, quasi

verba *tota accusatione* cum praecedentibus coniuncta ad oppositionem, quae h. l. instituitur, explendam pertinerent. Sed oppositio nonnisi inter haec intercedere potest: *verba* ex altera parte, ex altera *re vera et periculo*; illud vero *tota accusatione* cum utroque membro coniungendum est.

39, 17. *utique ei locus*] Ne dubites in hac dictione de dativo *ei*, quum multi codd. secundum casum substituant, cfr. c. 22. 59, ubi eadem verba leguntur: *locus ei primus est constitutus*.

40, 3, *Iam hoc prope* cett.] Vulgo *quoque* inserebatur cum levissima auctoritate et sine commodo sensu: nam nihil novi h. l. affertur: sed facta mentione Cepasiorum, simulata querela lepidissime et acerbissime subiicitur, quod in summis difficultatibus non optimi patroni adhibeantur. Hanc loci nostri rationem omnis eos fugisse oportet, qui in seqq. additamentum, quod in vetustis editionibus receptum erat: *nisi forte — praestare debent*, tanquam spurium aspernati sunt. Nam haec clausula tam necessaria est ad praeclaram huius loci urbanitatem percipiendam, ut, resecta ea, nemo serione an ioco haec Cicero dixerit, possit discernere. Ridicule profecto Graevius Manutium reprehendit ironiam *fingentem* scilicet: quasi sanus quisquam h. l. de ironia dubitare possit; quasi revera hoc iniquissime comparatum sit, quod probi et honesti patroni famam integritatis suae in nefariis causis defendendis periclitari recusent. Legantur modo, quae Cicero infra c. 39. ex. serio dicit: *Erat Romae summa copia patronorum, quorum certe aliquis defendisset equitem Romanum, in municipio suo nobilem, si honeste putasset eiusmodi causam posse defendi.* Sed h. l. consulto vera ratio, quamobrem causae improbae ab honestis patronis destituantur, adsimulata quadam dubitatione tegitur, tanquam reus, dummodo velit et operam impendat, ut in morbis peritissimum medicum, sic in iudiciorum periculis optimum quemque defensorem sibi comparare possit. Sed in ista dubitatione oratio

acquiescere non potuit; ne in suspenso teneretur vera sententia, solutio fictae difficultatis necessaria erat; neque aptior ulla cogitari potest, quam quae damnato illo a plerisque additamento, quod optimorum codicum nostrorum auctoritatem nunc satis tutum praestituram esse speramus, continetur. Nam quod ea causa, quae unice vera est, et magnum discrimen, quod inter medicos et patronos intercedit, cum specie dubitationis profertur *(nisi forte)*, hoc egregie fictae praecedentium gravitati convenit. Similem sententiarum nexum habemus pro Caecina. c. 1. 2: *mihi quidem quum audax praecipue fuisse videtur Aebutius*, *tum impudens in iudicio* — : *nisi forte hoc rationis habuit*, *quoniam* seqq. Nam etiam h. l. quam veram Aebutii causam actionis esse vult, eam quasi dubitanter exprimit. — In nostra quidem sententia prioris partis irrisionem tam recte perspexit et explicuit Garatonius, ut mireris, virum sagacissimum non in reliquis quoque Graevii auctoritatem, cui saepe nimium indulget, deserere ausum esse, sed in dubitatione suspensum haesisse: *video haec satis firma existimari non posse: sed conclamata non arbitror.*

20. *ut*, *quamquam* — — *videretur*] Etiam h. l. soli codd. A et B priscam scripturam servarunt, si quidem prisca certe habenda est, quam unice sensus ferat. Nam quod vulgo editur: *hoc quamquam sedulo faciebat* aperte Cepasio consilium attribuit nova vulnera Fabricio addendi, quod, quamvis improbus fuerit et perditus, tamen cogitari non potest. Sed haud dubie illud *hoc*, quod sensum turbat, quia ad vulnera addita nos respicere cogit, a correctore quodam illatum est, qui elegantem usum verborum *sedulo facere* absolute positorum compertum non habebat, quo bonam fidem et operam cuicumque rei impensam exprimunt: cfr. de Fin. III. c. 4. 16: *Sedulo*, *inquam*, *faciam*, *sed fortuna fortis.* Ter. Eun. II. 3. 71: *Faciam sedulo*, *dabo operam*, *adiutabo.* Adelph. III. 3. 59: *fit sedulo: nihil praetermitto.* Eundem igitur usum nostro loco restitutum habemus, ita ut nexus

quoque sententiarum, sicuti aptum est narrationi strictim expositae, melius cohaereat: *addebat*, — *ut* — *videretur*.

21. *accusationi*] Sic nostri et Oxonienses ad unum omnes; neque de veritate scripturae dubitamus, quod Lambinus fecit et Garatonius. Nam verbum *praevaricari*, quamvis numquam alias in Cicerone, ut videtur, cum dativo coniunctum inveniatur, tamen natura sua huic structurae minime repugnat, sed sponte potius ubique dativum eius rei aut personae, cuius causa aliquis praevaricatur, subintelligimus.

41, 12. *ita tum*] Accedunt h. l. optimi nostri ad auctoritatem cod. S. Victoris et optimi regii apud Lallemand. Ad sensum autem necessario *ita* scribendum erat pro vulgato *iam*: *iam* enim id, quod dehinc factum esset, indicaret; sed *iudicium suum*, quo primum condemnatus est, iam praecessit: tum enim, quum ex iudicio discessit, satis de se ipse iudicavit.

15. *de Oppianici persona causaque*] Quod ex consensu praestantissimorum codd. addidimus: *persona* — *que*, non est otiosum: *causa* enim nihil aliud spectat quam tentatum ab Oppianico in Cluentium veneficium: *persona* ea omnia complectitur, quae de vita Oppianici anteacta praemissa erant.

21. *et iis, quae*] Copulam *et* iniuria Garatonius damnavit, quamvis a multis libris inferioris notae absit: prius enim *et* alteri sic respondet, ut duae gravissimorum criminum partes discernantur, et ea, de quibus dictum est, et ea, quae reticentur. — Mox pannus iste, qui ad vocem *breviter* in bono codd. numero assutus est: *bene „breviter"*, *ut quum omnia paene dixerat, multa adhuc sibi reservasse videatur*, satis auctorem suum arguit: optimi nostri nihil eiusmodi sordium traxerunt: neque satis caute egit Orellius, qui tam inertem magistelli cuiusdam observationem, cum clausula illa comparandam censet, quam supra §. 57. Ciceroni vindicavimus.

42, 8. *consentire*] Operae pretium est animadvertere, quot librorum auctoritate certissimae saepe scripturae nitantur: nam h. l. inter omnis nostros et Oxoniensis A et B soli veram verbi formam tuentur: reliqui omnes varie discrepant.

43, 19. *T. Acci*] Quod ubique fit in eiusmodi nominibus, etiam h. l. apparet: libri scripti fluctuant inter varias formas: *Attius*, *Actius*, *Accius*: ex quibus mediam nullius gentis Romanae esse iam constat: sunt *Attii*, *Accii* et *Atii*, *Actii* nulli. Quum autem oratorem nostrum, Cluentii aggressorem, Pisaurensem dicat Cicero Brut. c. 78., ex Pisaurensibus monumentis, quae collegit Oliverius, iure aliquid auctoritatis quaesivit Garatonius: praebent et haec eandem fere varietatem; probavi tamen egregii viri iudicium, qui plurimum tribuit lapidi uni n. CXXXI, in quo noster ipse sic inscriptus esse videtur: *T. Accii Pisaur. cineres.* Certe nihil ego affirmaverim, sed in re prorsus dubia aliquam veritatis speciem sequi iucundum est.

44, 4. *per Fabricium*] Praetuli hanc optimorum codd. scripturam vulgato plurali *per Fabricios*: nam quo saepius C. Fabricius et eius libertus Scamander *Fabricii* a Cicerone appellati sunt c. 22, 59. 60., eo minus suspecta est h. l. accuratior dicendi ratio.

5. *exstat memoria*] In plerisque MSS. pluralis legitur: *exstant memoriae*: sed ille dicendi usus, quo *memoriae* libros significant, quibus memoria rerum gestarum continetur, quos veteres commentarios nominabant, non est Ciceronis aetatis: exempla eius apud Gellium primum extare videntur: IV, 6: *in veteribus memoriis scriptum est.* X, 12: *Phavorinus philosophus memoriarum veterum exsequentissimus.* Suetonius Claud. c. 1. singulari numero dicit: *vitae memoriam (Drusi) composuit (Augustus).* Sed nostro loco, quum *tabulae publicae* statim commemorentur, primum communis hominum memoria in auxilium vocanda erat.

9. *in maledicti loco*] Optimi libri nostri accusativum exhibent: *in — locum:* quem tamen pati non posse videbatur natura verbi *obiicere*, quod eodem modo struendum duximus cum verbis *numerare, ponere, deferre* et similibus v. c. Epp. Fam. II, 6. 3. *in mercedis potius quam beneficii loco numerare.* in Pison. c. 14. 31. *tune ausus es — meum discessum illum — maledicti et contumeliae loco ponere*, et 32: *tu cetera illa in maledicti loco pones.* Verr. II, 11. 29: *hoc illis in beneficii loco deferendum.* III, 48. 114: *hoc in beneficii loco petitum est ab Apronio.*

45. 1. *qui sibi alia ratione diffideret*] Mirum in modum h. l. vera scriptura, quae in vetustis edd. et longe plerisque codd. apparet, a criticis omnibus, etiam a summo Lambino neglecta est: nam ubique ante nos vulgabatur *aliqua ratione*: sed hoc aperte dicit orator: Quum Cluentius *omni ratione* causae suae confideret, Oppianicus non *aliqua ratione*, quod cuivis etiam innocenti accidere potuit, sed *alia ratione* scil. quam corrumpendo iudicio (adeo culpae sibi conscius erat) sibi diffidebat. Neve forte quis dicat, *aliqua* h. l. ut saepe idem esse quod *alia qua:* nam hoc non est quod sententia postulat: non alia aliqua, sed alia quacunque ratione sibi diffidebat Oppianicus. Hoc tam perspicuum est, ut nemo, qui monitus semel accuratius attenderit, dubitare possit: accedit quod cap. seq. init. eadem iisdem fere verbis repetuntur, quae nemo tentavit: *eum qui spem salutis in alia ratione non habuerit.*

5. *tam inimicus*] Praeter egregiam auctoritatem etiam sententiae rationem sequutus hanc scripturam praetuli vulgatae *tam iniquus.* Nam etsi summa foret iniquitas, si quis Ciceroni, quod proposuit, non concederet, tamen causa potius, quam res ipsa afferenda erat.

46, 5. *negate, inquam*] Eiecimus alterum imperativum *negate,* bonis libris ducibus: quo nimis idem verbum cumulatum esse videbatur. Nam etsi, quod satis notum est, ad fulciendam eiusdem verbi repetitionem apponi solet illud *inquam*:

(cfr. supra c. 22. 62: *nihil, nihil, inquam.* infra. c. 60. 168: *pater, pater, inquam.* pro Mur. c. 37. 80: *cives, cives, inquam.* pro Flacc. c. 1. 3: *hoc tempore, hoc, inquam, tempore.* pro Lig. c. 5. 15: *per te, per te, inquam.* c. 9. 28: *omnes, omnes, inquam.* pro Deiot. c. 12. 34. *solus, solus, inquam, es, C. Caesar.* cfr. Goerenz ad Acad. p. 141.) h. l. simplex imperativus *negate* iure pro repetitione habendus est compositi illius: *audete negare.* Mox autem verba: *in eo loco* haud tangenda videbantur propter levem nonnullorum librorum varietatem: nam Manutius optime ea interpretatus est: in subselliis accusatorum, in quibus interpellandi defensoris potestatem suo iure non habebant. Apte idem confert similem locum pro Rosc. Am. c. 27. 73: *Ita quaero abs te, C. Eruci, quomodo? et sic tecum agam, ut i n e o l o c o vel respondendi vel interpellandi tibi potestatem faciam, vel etiam si quid voles, interrogandi.* Vid. quoque infra c. 60. 168: *pater illius adolescentis, quem propter animi dolorem pertenuis suspicio potuisset e x i l l o l o c o testem in A. Cluentium constituere:* ubi perperam Ernestius Sylvii coniecturam *ex illo luctu* probavit: sensus est: is, quem nunc in defensione testem ex nostra parte producimus, facillime, si ulla sceleris suspicio fuisset, ex accusatorum subselliis surgere potuisset; add. c. 19. 54: *hoc ipso in loco, quasi reus ipse esset, sedebat.*

47, 1. *datis muneribus*] Sic dedimus ex optimis nostris: vulgo legebatur: *donis datis muneribusque:* quod Graevius quique eum sequuti sunt, relicto Lambino, qui melius saltem *donis datis* coniunxerat, sic distinxerunt: *donis, datis muneribusque*, quasi duo synonyma nondum satis superque sufficerent, tertium Ciceroni obtrudentes: sed ille ne duo quidem posuit, sed haud dubie illud, quod nunc restitutum est: *datis muneribus;* in quo librarii, qui nescio quo errore *datis* pro substantivo habebant, rariorem verbi usum, adscripto alio nomine *donis*, explicuerunt, unde alii monstrum illud lectionis effinxerunt.

2. *eo fautore*] Quod nemo ex cod. S. Victoris, suadente Lambino, restituendum duxit, id nunc nostrorum codicum auctoritate extra dubitationem positum est. Quis enim diutius manifestum mediocrium librorum errorem ferat: *auctore?* Qui tandem iudex is, qui cupide reum absolvit, auctor eius a bono scriptore dicatur? Contendit quidem hoc Graevius, nullo modo probavit.

12. *Iam hoc non ignoratis*] Negatio h. l. tam incerta auctoritate nitebatur, ut Graevius de ea delenda cogitaret: illi enim interrogatio huic loco haud aliena esse videbatur; quemadmodum in vetere editione Basileensi revera constitutus est: sed nemini, puto, persuadebit, Ciceronem gratam metaphoram, qua leviter et eleganter adumbrata ad rem ipsam progressurus erat, insigni quodam affectu protulisse, qualis interrogationi proprius est. Opportune autem gravissima codd. nostrorum auctoritas intercedit, quae etiam ceteris omnibus dissentientibus, receptae scripturae fidem satis confirmat. — Neque minus necessarium est, quod mox novissimi demum editores ex mg. Cod. S. Victoris receperunt: *monitae* pro vulgato *dominante*, quod frustra variis coniecturis tentatum erat. Nam verba *fame dominante* nihil aliud nisi tempus communis omnium inopiae indicarent, qua grassante bestiae quoque compellerentur: sed nihil hoc ad rem, ubi unice bestiarum consuetudo, quandocunque fames eas premeret, describenda erat.

48, 9. *qui id efficere possit*] Satius duximus, librorum consensum, quam vulgarem grammaticorum normam sequi: nunquam certo affirmari potest in propositione pendenti, qua sententia cuiusdam continetur, quantum eius mente, qui loquitur, aut eius, cuius sententia affertur, dictum sit: h. l. si Staieni potius quam Ciceronis verba nobis audire videmur, optime praesens tempus defenditur.

49, 8. *miserrimus in locis [et] inanissimis*] Duarum, quae h. l. vulgantur, scribendi rationum, (aut: *miserrimus et inanissimus*, eiectis verbis *in locis;* aut: *miserrimis in*

locis et inanissimis) neutra satisfacere potest: nam ut unum moneam, in priori adiectivum *inanissimus* ad ipsum Staienum, in altera alterum *miserrimis* ad *loca* non apte trahitur. Sed quum verba *in locis* in longe plerisque et optimis MSS. exstent, de iis vix dubitari potest: tum autem pro sexto casu *miserrimis* in egregio cod. Florentino et quinque Oxonn. (ut videtur), in vetustissimis denique editionibus primus *miserrimus* apparet, quem sententiae ratio aperte flagitat: sed obstat copula *et* ante *inanissimis*, quam ipsam in plurimis codd. ablativum *miserrimis* peperisse suspicor. Sed mihi potius in ista copula vitium latere videtur: nescio an Cicero in re tam lepide et facete narrata, rariorem formam ausus sit: *in locis exinanitissimis*, quae sane facillime corrumpi potuisset: simplex participii forma Nostro haud insolita est: vid. Verr. V. c. 40. 104: *in eum, qui solus habuerit constratam navem et minus exinanitam.* de leg. Agr. II, c. 27. 72: *vectigalibus oblatis, sociis vexatis, regibus atque omnibus gentibus exinanitis.* — Interim copulam, causam, opinor, erroris, uncis inclusimus. — *Loculis*, quod pro *locis* Ernestius coniecit, nullis codd. vestigiis firmatur: *locis* non potest reprehendi, si aptum epitheton nactum fuerit, quale est nostrum *exinanitissimis;* ut sensus sit: unde omnia corraserat, quum eo tantae opes subito confluxissent.

13. *Oppianicum damnari* vid. ad c. 14. 43.

14. *Quid tandem?*] Sic multo melius hominis audacia exprimitur, quasi indignantis sibi, quod subsidiorum inopia aliquamdiu haesitaverit, iam autem omnem dubitationem abiicientis: vulgatum *qui tandem?* dubitationem nondum positam indicaret: nam esset tale quid supplendum: *qui tandem rem instituam?* nunc autem nos cogitamus: *quid tandem moramur?*

50, 11. *ne gratis:* male hoc Orellius Bulbo tribuit, quasi Staieni verba interrogando repetentis, sed aperte haec ita iungenda: *simul atque hoc: „ne gratis“ audivit.*

17. *minime amarus iis visus est, qui aliquid ex eius sermone speculae degustarant*] Sic demum optimorum nostrorum codd. ope hic locus, quem etiam minus intellectum omnes ob facetiam admirati sunt, veram lucem suam nactus est. Scilicet ex ipso rei exitu satis apparet, Bulbum a Staieno in huius negotii partis adscitum alios quoque iudices, sicut ille rogaverat, adiisse et ostentata mercede tentasse: sed quod ex fine necessario colligitur, id in ipsa narratione nusquam dicebatur: sed verba: *itaque is visus est — degustarat*, quemadmodum vulgantur, nihil nisi gratum Bulbi animum propter spem ipsi excitatam ostendunt; neque satis intelligitur, quid ad augendam eius laetitiam Guttae accessio contulerit. Tum etiam mira inest in vulgata scriptura lepidae imaginis perturbatio: quid enim? Bulbus ideo non amarus visus est, quod ex sermone Staieni aliquid speculae degustarat? Iure expectes, alios ex ipso aliquid degustasse, quibus non amarus videri posset. At nulla haec est Ciceronis culpa, sed librariorum, qui verba eius misere detorserunt: scripsit ipse, quod dedimus, quo sententia et imago egregie iuvantur: *Itaque* (Bulbus, cui, accedente Gutta, maior fides habebatur) *minime amarus iis visus est, qui aliquid ex eius* (Bulbi) *sermone speculae degustarant* h. e. ceteris iudicibus, quibuscum oquebatur. — Ceterum notandum est, scripturam *speculae*, de qua post Lambinum neminem dubitasse puto, quam paucissimorum librorum fide niti: Florentt. omnes praeter optimum *spe gulae* exhibent: vox ipsa etiam in Epist. Famm. II, 16. 15. legitur; fortasse petita ex Plauto. Most. III, 1, 112. Pers. II, 5, 9. Cas. II, 4, 27.

21. *placidissime*: sic rectius scribitur, quam quod vulgabatur: *blandissime*. Nam revera iratus placidum vultum simulabat Bulbus.

51, 3. *nationis magis quam generis*] Delevi pronomen *suae* post vb. *nationis*, praeeuntibus optimis codicibus, neque sine idonea causa: non enim erat natione *Ligur* Staienus, quod nonnulli intellexisse videntur, sed verum ei *Liguri*

cognomen erat: quod ne propter notas ipsius fraudes ludibrio ad gentem Ligurum traheretur, quam fallaciis infamem fuisse Servius testatur ad Aen. XI, v. 715. cum nobili *Paetorum* cognomine commutaverat. Garatonius verum vidit contra Sylvium monens: *Natione Ligurem hunc fuisse: necesse non est.* — Liguris cognomen habes in gente Octavia apud Cic. Verr. Act. II. I. c. 48: *M. Octavius Ligur.*

5. *Hic ille planus*] Ne quis h. l. dissentientium codicum numero moveatur, A. Gellium audire sufficit in loco ab Oliveto primum adnotato, l. XVI, 7: *Planum pro sycophanta Marcus quoque Cicero in oratione scriptum reliquit, quam pro Cluentio dixit.*

15. *quum palam:* sic codd. plerique; vulg. *quam palam*, sine sensu: quomodo enim ad *suam* h. e. unius Staieni *sententiam* pronomen referri potuit, quod ad *omnes* pertineret?

52, 1. *placuit repente pronuntiari: Dixerunt*] Hic locus in plerisque editionibus vanorum additamentorum mole impeditus, largam disputandi materiem praebebat viris doctis, quibus lacinias istas rescindere religiosum videbatur. De quibus ut sine cupiditate iudicetur, monendum est, ne unum quidem codicum nostrorum, neque ex Oxoniensibus ullum, neque codicem S. Victoris, neque optimos Palatinos, nec Francii libros verba ista vulgo interposita *iudices* et mox *se id velle* agnoscere. Quare desinant interpretes ex manifestis glossematis lectionem aliquam artificiosam et contortam exsculpere, quod nuper etiam Orellius tentavit. Si quis autem locum nostrum, qualem libri praestant, attente perpenderit, tum Asconii scholium ad finem primae actionis in Verrem contulerit, ubi diserte docetur: *ab utraque parte oratione consumpta, ut in consilium dimitterentur iudices a praetore, praeconem solere pronuntiare: Dixerunt:* — num dubitare potest, quin haec iudicii forma in nostra causa observata sit? Sed Garatonius, qui veram rationem perspexit, de

Cannutio dubitavit, quum praetoris fuisse censeret finem imponere causae dicendae, ideoque *C. Iunio* scribendum esse pro *Cannutio* suspicatus est; quamvis hac difficultate commotus, postremum ad Gruteri scripturam redeat: *placuit repente pronuntiare iudices; dixerunt se id velle.* At erravit vir egregius. Nam praeterquam quod Asconius non dicit, *praetorem* illud *dixerunt* a praecone pronuntiari iussisse, ex ipso cap. 30. 83: *cur eum, quum in consilium iretur, Cluentius et Cannutius abesse patiebantur? cur quum in consilium mittebant, Staienum iudicem non requirebant?* satis apparet, accusatores *in consilium misisse* h. e. ad ineundum consilium iudices invitasse. Illud autem quod Garatonius ex coniectura scribi iubebat: *pronuntiari* pro forma activa *pronuntiare*, ex duobus Palatinis et codice S. Victoris enotavit Gruterus, idque recipere non haesitavi. — Ceterum sicut causa utrinque perorata *dixerunt* a praecone pronuntiabatur, sic causa nondum satis exposita *amplius* ex consilii sententia pronuntiatum est. v. Cic. Brut. c. 22.

5. *quadragena millia nummum*] Numerum non aliter scribi posse, ipsius rei ratio luculenter ostendit: error in multis codd. et editionibus, etiam Gruteri et Graevii *(sexcenta quadraginta millia)* inde natum, quod *quadraginta millia* his signis notabantur: CIↃXL, unde effectum est IↃCXL.

17. *Aelio*] Placuit optimi Florentini scriptura, quae errore palimpsesti Taurinensis aperte confirmatur. Haec rara appellatio (v. c. 24. 64. et 26. 72.) certe non a librariis excogitata est.

53, 10. *exspectabant:* sic sensus etiam sine libris rescribi iubebat pro vulgato *spectabant*: nam nullaedum sententiae dictae erant, quas *spectarent* ceteri indices.

54, 1. *severi homines, qui hoc statuerunt*] *qui*, quod Orell. ex pal. Taur. restituit, etiam in optimis nostris conspicitur. Optime vidit Orellius, restituto pronomine, in sequentibus *etsi*, quod vulgo disiunctum scribebatur, uno vocabulo concludendum esse: quo facto mirum quantum haec

sententia profecit: sic enim et causa, propter quam severiores iudices sic pronuntiabant (*qui hoc statuerunt — oportere*) et ipsum factum (*etsi — — putabant oportere*) recte disposita clarius elucent; tum etiam praecedente illo *etsi*, particulae, quae sequuntur, *tamen nihilo minus* habent quo nitantur.

56, 7. *summam illi iudicio invidiam*] Haec scriptura, de qua nemo hodie dubitat, nonnisi codicis S. Victoris auctoritate, quantum notum erat, nitebatur: nunc demum ad confirmandam fidem optimi nostri accedunt: reliqui omnes, quotquot a viris doctis inspecti erant, verbum *iudicio* omittunt. Sed ut hoc dici potuerit, quod tamen vix a Cicerone esset concessum, summam *Cluentio* invidiam et infamiam tum fuisse conflatam, quomodo illud stare potuit: in hanc alterius flammam invidiae C. Iunium iniectum esse? Est omnino iudicii illius infamia, in quam omnes, quae tum sequebantur, causae contagione quadam incurrebant.

9. *recentem tum*] Restituimus ex MSS. longe plerisque particulam *tum*, quae cum adiectivo *recentem* arcte connexa paene necessaria est, ut Iunianum iudicium brevi post actam Oppianici causam habitum esse appareat. Saepissime quoque a Cicerone *tum* adiectivo *recens* adnectitur v. c. c. 13. init. c. 31. 84.

13. *sed clamore*] Traxerat hic locus ex Repetitione nominis, quod modo praecedebat, vitium, quod nunc demum sustulimus: nam nihil bonae frugis in genitivo *hominum*, qui vulgo legitur post voc. *clamore*. Erat potius clamor a L. Quinctio, homine turbulento, sublatus et excitatus.

58, 1. *iam multitudinem criminum et atrocitatem*] Praeter ordinem verborum ex optt. codd. emendatum opportune ex iisdem particulam *iam* pro vulgato *ipsam* nacti sumus: quod prorsus huius loci non erat: nam *ipsam* sic demum recte foret oppositum, si multitudo criminum et atrocitas non satis idoneam timoris causam in se haberet: quum tamen vel

maxime propter eam verendum esset reo, ne damnaretur, quod ipsum particula *iam* indicatur, quae nihil magis consentaneum fuisse ostendit, quam quod multitudinem criminum pertimesceret.

14. *quae ad eam rem pertinent:* vulgo: *quae nunc ad eam rem pertinent;* sed *nunc* non solum inutile, sed valde incommodum erat: hoc enim tempore nihil magis ad causam pertinet, quam initio quaestionis; et si quid amplius accessisset, id quidem non ante octo annos potuisset agitari et tractari. Fortasse ab otioso librario in vetusto exemplo ad vv: *anni sunt octo* illud *nunc* in margine adlitum erat, idque ab aliis in alienum locum intrusum est. — Mox distinctione leniter mutata sententiae bene consuluimus: scribebatur olim v. 17.: *Quid? Albiana pecunia vestigiisne* cett. Sed multum refert, ut omissa pecuniae Cluentianae mentione continuo Albiana insigni quadam vi opponatur: *Quid Albiana pecunia? vestigiisne* cett. Eadem ratione p. Mur. c. 20. 42. post descriptam Murenae praeturam, sic continuatur oratio: *Quid tua sors? tristis et atrox.*

19. *vobis iudicibus*] Minus elegans fortasse haec scriptura, quam ex optimis codd. protraximus, iis videbitur, qui perfecta imaginum aequalitate mire delectantur: nam vulgatam *vobis ducibus* apte convenire dicent iis, qui non solum vestigia odorantur, sed *ad ipsum cubile se perventuros esse* sperant: at ratio repugnat: nullo modo iudices in illa quaestione duces dici potuerunt, cuius latebrae ipsi oratori aperiendae erant; sed hoc iterum praedicat, de quo modo vehementer laetatus erat, quod temporis iniquitas recesserit, quodque hoc iudicio, his talibus viris sedentibus, facile demonstrare posset, quod olim in iudicio Iuniano non sine magna invidia commemorari potuisset. Quare idem fere h. l. dicit, quod infra p. 62, 15: *hodierno die primum veritas vocem contra invidiam, h i s i u d i c i b u s f r e t a misit.*

p. 59, 5. *qui pecuniam dederant*] Sic dedi a libris paulum recedens, media scriptura inter utramque varietatem

quod et *cui* electa: sed nihil, puto, certius: modo, interrogatione usque ad vv. *effectum est* continuata, vera sententiae ratio restituatur. Nam male vulgo interrogandi signum post vb. *requirebant* ponitur, reliqua narrando enuntiantur. Sed una interrogatione, quae a particula *cur*, immerito quibusdam suspecta, pendet, id efficitur, ut diversa agendi ratio ab utraque parte insignibus documentis ob oculos ponatur. »Quid igitur,« inquit »magis mirandum, quam quod, qui pecuniam ad corrumpendum dederant, Staienum non requisiverint, Oppianicus, contra qui corruptus esse dicebatur, absentiam eius moleste tulerit?« Sic quoque praestantia scripturae *querebatur* apparet, quae contra plurimorum codd. auctoritatem deteriori *quaerebat* in plerisque editionibus cesserat.

60, 10. [*istam dedit conciliationis et gratiae fabulam*] Tenemus h. l. insigne quamvis vetustae interpolationis exemplum, quod quamquam editores fugerit, nunc optimorum codd. ope convictum et deprehensum a nemine, puto, non agnoscetur. Nam verba illa, si diligenter excutias, omnia interpolationis signa prae se ferunt, quum fictum vulnus infelici emendandi studio sanare conentur. Illud enim librarium aliquem offendebat quod Staienus mendacium suum aut necessitate adactus, excogitasse diceretur, aut a Cethego admonitus. Quid enim? Quod ab alio admonetur, id non excogitat. Quamobrem aliud verbum addendum videbatur: modo hoc paulo sollertius excogitatum esset. Cicero numquam unam sententiam iisdem fere verbis et exorsus esset, et clausisset: *istam conciliationem gratiae* — *istam conciliationis et gratiae fabulam.* — At non sunt eadem verba, dicat aliquis. — Sane non sunt: nam quicquid posteriorum non a Cicerone sumptum est, numquam a Cicerone potuit proficisci. Nam primum docta ista figura τοῦ ἑνὸς διὰ δυοῖν (*conciliatio et gratia*) quae interpretes iure vexavit, infelix est commentum in simplici narratione. Tum *fabulam* interpolator aperte non comoediae sensu, quod voluit Orellius, sed pro mendacio posuit: quod Cicero nonnisi idoneo epitheto

addito, aut in rebus poëticis et vere fabulosis ausus est; hoc sensu dicit de Inv. I, 19. 27: *fabula est in qua nec verae nec verisimiles res continentur*, *cuiusmodi est: Angues ingentes alites iuncti iugo.* Off. II, 9. 39: *ficta et commentitia fabula.* pro Mil. 3. 8: *fictae fabulae.* Denique *dare fabulam* est quidem Ciceronis sed ita ut sit: fabulam scenicam populo spectandam exhibere, (Tuscul. I, 3: *Livius fabulam dedit*) nusquam mendacia venditare, ut nostro loco interpretandum foret. Quae quum ita sint, restat ut difficultatem illam, interpolationis causam, perpendamus. Atqui resecto additamento illo lócus sanissimus est: Staienus enim, sive extrema necessitate coactus, sive a Cethego admonitus fraudem excogitavit: nam etsi consilium simulandi ab alio accepit, ipse tamen rem omnem instruxit et adornavit, quod ipsum, postposito praesertim participio *admonitus*, tanquam altera significatio commode verbo *excogitare* potest subintelligi.

61, 9. *qui cum matre habebat simultates*] Quum duo optimi nostri et bona pars ceterorum codicum verba *habebat simultates* tueantur, non dubito, quin errore librariorum, simili terminatione vocum *habebat* et *haerebat* deceptorum, in reliquis omissa sint. Garatonii rationi, qui scribendum censuit: *qui cum matre? scil. in gratiam redire poterat,* illud obstat, quod nihil aliud ad causam dirimendam requirebatur, quam Cluentii et Oppianici gratiae reconciliatio. Sassia idcirco tantum commemoranda erat, quod eius cum filio simultates magnum erant impedimentum, quo minus hic cum vitrico in gratiam rediret: idque in vulgata scriptura aptissime exprimitur.

21. *disputo*] Nihil moveor plurimorum codicum, qui *disputem* exhibent, dissensione, optimorum auctoritate contentus et sensum ipsum sequutus, qui quum orator inchoatam iam disputationem interpellet, non novam aliquam omittat, indicativum flagitat.

62, 1. *ad quam rem fuerit*] Participium *data* in deterioribus codd. h. l. intrusum in plerisque editionibus quasi iure suo locum obtinuit: sed cedat necesse est locupletioribus testibus: nam multo luculentior et gravior fit membrorum oppositio, si in utroque nihil nisi verbum substantivum habemus..

64, 19. *possunt iidem illud iudicium fuisse defendere*] Aptiorem hunc verborum ordinem pro vulgato: *illud iidem* duo optimi cum pal. Taurinensi satis firmant. Ceterum hic locus necessario pro interrogatione accipiendus est: quod qui neglexerunt, Manutius, Stephani et ipse Lambinus, temere negationem *non* ante *fuisse* inculcarunt. Graevius verum vidisse videtur, quamquam explicatio eius mire conturbata est: nam nescio quo errore in hoc de Iunio iudicium Oppianici causam intermiscet, de qua prorsus non cogitatur. Hoc dicit Cicero: si quis dicat Iunium non quidem illis legibus, quibus accusatus sit, sed alia, contra quam commiserit, esse damnatum, num idem contendere potest, hoc fuisse iudicium, in quo eiusmodi legum negligentia et perturbatio versata est?

21. *infestus tum populus Romanus Iunio fuit*] Foedum mendum hunc locum inde a principe editione obsedit, a nullo interprete animadversum. Scilicet sic ab omnibus vulgatur: *infestus tum praetor Iunio fuit.* Sed quid praetorem moramur, qui quantum ad Iunium opprimendum fecerit, iam expositum erat, ubi quaerimus, quid populum ad eum condemnandum commoverit? Nam postquam illud satis ostendit orator, iudicium Iunianum praeter leges et consuetudinem habitum esse, restabat ut doceret, qua de causa tanta populi in Iunium invidia conflata fuerit, ut tam iniusto iudicio eum condemnaret. Erat illa, ut statim apparet, vis et licentia tribuniciae potestatis: huc igitur iam tendit oratio, et singulari arte paulatim eo convertitur. Nam quasi in superioribus nihil de culpa Iunii, si qua esset, detractum esset, iterum adversarium dicentem facit: »Esto: fuerit in

isto iudicio quaedam legum negligentia: idcirco tum fuit infestus *populus Romanus* Iunio, quod suspicio manebat, corruptum eum Oppianicum damnasse.« Huic deinceps obiectioni Cicero occurrit, tribuniciae actionis stimulis populum concitatum fuisse ostendens. — Ceterum nihil pronius, quam quem ex egregiis libris correximus, error: nam *Praetor* et *populus Romanus* simili compendio in MSS. notantur.

67, 2. *P. Popilius:* hic nullus alius esse potest, quam quem lege a C. Graccho in exilium expulsum L. Bestia rogatione sua restituit. Brut. c. 25. 95. et c. 34. 128. Quare etiam invitis libris *P.* praenomen retinendum erat, quod Graevius primus restituit.

7. *illud iudicium iudicii simile*] Graevius post v. *iudicium* distinxit: scilicet ne idem bis diceret orator: *non fuit — simile*, *non fuit:* nihil infelicius fieri potuit; nam haec repetitio Ciceronis rationi vel maxime accommodata est; ille autem duo membra efficit, quorum alterum (*iudicii simile*) priori subiectum (*non fuit iudicium*) nihil dicit, quo vis sententiae augeatur.

20. *At enim etiam*] *enim*, quod ex bonis libris inserui, non est librarii inventum: elegantius enim obiectio inducitur particulis *at enim*, quae graecis ἀλλὰ γὰρ respondent: cfr. pro Mur. c. 17. 35: *At enim in praeturae petitione prior renuntiatus est Servius.*

68, 23. *reprehendissent*] Non est audiendus Oxoniensium unus, qui h. l. *deprehendissent* praebet: *reprehendere* sic ut significet *deprehensum accusare* haud infrequens est apud Ciceronem: v. Verr. III, 96. 224: *aliquod genus pecuniae cogendae nullo modo senatoriis iudiciis reprehendi posse.* p. Planc. 35. 86.

69, 12. HS IↃC] Nihil in hoc numero mutandum, quamvis boni codd. dissentiant: nam idem numerus plene scriptus et sine ulla varietate apparet c. 25. 68.

14. *reticuit:* haec est elegans codd. nostrorum emendatio pro vulgato *retinuit*, quod nihil aliud fere dicit, quam alterum illud *suppressit;* iam autem depictam habemus Staieni audaciam et fraudem: simulat se nihil accepisse, et ultro, qui pecuniam repetunt, accusat.

70, 12. *Quamobrem si Staieni* — 22. *confirmet?*] Intricatior huius sententiae nexus saepius minus accurate perspectus pravas et emendandi et interpretandi rationes progenuit. Ipse Lambinus, festinantius hunc locum tractans, erravit, dum coniunctivos: *reperiatur* — *ablata sit* ex Sylvii coniectura recepit: nam particula *quum* non ultra verba: *ita constitutum sit* — *aut Oppianicus* valet, quibus ad rite conficiendam conclusionem ea conditio, quae cap. 23. 64. concessa erat, in memoriam revocatur. Argumenta, ex quibus h. l. ratio ducitur, nonnisi haec duo sunt: prius: »Oppianicum pecuniam ad emendas sententias iudici dedisse, iudicatum est;« alterum: »Cluentii nummus nullus iudici datus reperitur; Oppianici contra pecunia post iudicium factum a iudice ablata est.« Horum utrumque una particula *si* initio praemissa inducitur: quod quamquam insolentius et durius videri potest, tamen non minus verum est. Priusquam autem alterum argumentum: »*Cluentii nummus* — *ablata est*«, in quo *si* ex superioribus intelligendum est, subiungitur; quasi fulcrum eius et adiumentum conditio illa denuo additur, quam reus nullo modo detrectare potest. Haec si recte perpenduntur, satis apparet, quam infelix novae distinctionis remedium Orellius nuper excogitarit, quum verba: *quum ita constitutum sit — ablala est* parenthesi concluserit.

72, 2.* *capta nusquam* — *dixit*] Hunc locum, quem nulla ratione expedio, ad optimorum codd. fidem exprimere satius videbatur, quam quidquam incerta tangere coniectura. Equidem gravius mendum inesse suspicor, quam quod leni medela tollatur: nam ipsa Lambini sanandi ratio, haud sane mitissima, nihil effecit. Quis dicat, an *Staieni* nomen h. l. tam certum sit, ut editoribus videbatur?

5. HS CCCC] »Lambinus adversus edd. omnis emendabat *XXXX millia:* quod prope verum videbitur conferenti cap. 10. pro Caecina. Neque certe plus ceteris accepisse videtur Falcula ex c. 27. et 32.« Sic Garatonius. Sed nihil mutare ausim, quia incertum est, an Fidiculanii accusator eandem corrumpendi rationem perspexerit, quam Cicero fuisse contendit.

11. *adducti iudices sunt*: scil. ut iudicarent: eundem verbi usum habes ad Att. XI, 16: *ego non adducor quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse.* Fin. I, 5. 14: *Nam illud quidem adduci vix possum, ut ea quae senserit ille, tibi non vera videantur. Adduci* igitur hac elliptica ratione passivi locum obtinet verbi *persuadere*, quo aegre caret oratio latina. Itaque non opus est Ciceroni insolens verbum *addocti* obtrudere, quod nescio an nusquam alibi legatur nisi ap. Horat. Epist. I, 5. 18: *(ebrietas) addocet artes*; nec sine idonea causa: est enim: *novas artis docet.*

73, 12. *respondet*] Quamvis reluctans paulum recessi ab optimorum librorum scriptura, qui *respondit* exhibent: sed in terminationibus propter compendia scripturae error pronus est: praesens tempus, praecedente altero *dicit*, ratione flagitari videbatnr.

74, 3. *ex hominibus ipsis*] Ne unum quidem codicem sibi assentientem habent, qui *nominibus* dederunt, h. e. Naugerius et qui sequuntur praeter Lambinum et Graevium: sed etiam sententia receptam a nobis lectionem unice postulat: nihil ex nominibus probationis peti poterat, nisi quod nomina hominibus adhaerent: homines describuntur, virtutes et existimationes eorum; si nomina docerent, nihil nisi nomina dari debebant. Accedit quod pronomen *hi* aut *ii*, quod statim sequitur, diserte ad *homines* referendum est: in altera scriptura aut plane otiosum est aut molestum, quod neminem tamen recentiorum interpretum commovit.

5. *P. Octavio Balbo*] Verr. II, 12. 31. L. quidam Octavius Balbus iuris et officii peritissimus commemoratur, quem Ernestius et Garatonius eundem cum nostro Publio habuerunt: iure tamen neuter propter incertam suspicionem praenomen mutavit.

75, 20. *ignorantia sui*] Ubique fere inter hanc formam et alteram *ignoratio* fluctuant libri: v. c. Fam. II, 9. init. *ignoratione rerum omnium*, ubi Gronovius praetulit: *ignorantia.* Amic. c. 19. *propter ignorationem* (al. *ignorantiam*) *stirpis et generis. Ignorantia* intacta stat pro Flacc. 20. 46: *ubi nihil possent discere nisi ignorantiam litterarum*: nam haec verba immerito in suspicionem vocata firmat scholiastes nuper a Maio publici iuris factus. p. 29. Si quod utriusque formae discrimen admittendum sit, haud dubie in eo cernitur, quod *ignoratio* in singulis rebus male intellectis versetur, *ignorantia* insitum animi vitium contineat: quod ipsum nostro loco conspicitur.

77, 6. *ita vivit*: sic dedi ex longe plerisque codd. pro vulgato *vivat*: indicativo apte respondet, quod mox sine ulla varietate sequitur: *si quis — nititur.*

78, 14. *aliquid fuisse*] Quod vulgo additur *neque* aut quod ad sensum melius est, *nego*, omni auctoritate destitutum est: reduxi igitur pristinam sententiae formam, quae nullo fulcro eget.

17. *nitebatur*] h. l. ut saepius optimi nostri codd. confirmant scripturam Lambini, qui persaepe etiam ubi fontem indicare supersedit, librorum auctoritatem sequitur. Et omnino satis aperte Accius iactaverat iudiciis factis corruptum Oppianici iudicium esse convictum, ut non solum illis *niti videretur.*

80, 2. *maiestatis*] Necessaria videtur, si recte sententiam perpenderis, huius nominis accessio, quam optimis libris debemus. Nam in eo omnis argumentatio vertitur, ut eadem res diversa ratione decerni posse demonstretur in litibus

aestimandis et in iusto iudicio. Litium aestimatio ad damna resarcienda spectabat; in iudicio culpa eiusdem sceleris constituebatur. Itaque ubi in aestimandis litibus multa inflicta erat, eadem causa denuo in iudicium vocata longe aliter iudicari potuit. Quod in repetundarum crimine prae ceteris locum habebat. Nam qui in provincia iniuste exactarum pecuniarum accusatus erat, si severius lites aestimabantur, maiestatis poenam persolvere adigebatur, si lenius, eo nomine damnabatur, quod pecuniam accepisset. Sed quod in litibus aestimandis iudicatum erat, id non semper in ipso iudicio servabatur: immo qui graviorem multam in litibus aestimandis penderat, is in iudicio saepe minus severe dimittebatur. Quare quibus maiestatis lites aestimatae essent, iidem in maiestatis iudicio non raro absolvebantur. Hoc illud est, quod Cicero h. l. exponit, nec nisi repetito *maiestatis* nomine, plane et diserte enuntiat. Contra lites interdum mitiore nomine aestimabantur, et iudicium severius agebatur, quod factum videmus in T. Septimii Scaevolae causa, quae h. l. leviter commemoratur, sed clarius explicatur in Verr. Act. I. c. 13. 38: *P. Septimio senatore damnato, Q. Hortensio praetore, de pecuniis repetundis, lis aestimata est eo nomine, quod ille ob rem iudicandum pecuniam accepisset.*

5. *eosdem iudices absolvant*] Haud contemnenda est optimorum codd. correctio pro vulg. *eos illi iudices*, in quo pronomen *illi* in re, quam saepe fieri videmus neque ad certam aliquam causam referimus, valde incommodum est.

17. *animadversionem atque auctoritatem Censoriam*] Elegantem huius loci proprietatem contra praepopera editorum conamina satis tuetur Garatonius: rariores huiusmodi structuras, quae ad attractionem pertinent, non a librariis inveniri nemo non videt.

81, 5. *utriusque officii constituta necessitudo*] Recte sic vulgata scriptura stare videtur, quamvis librorum auctoritate destituta: nam *officiis* nusquam apparet, ubique *officii*, quod

tamen ob praecedentem genitivum *utriusque* depravatum esse puto: tum *consuetudo* pro *necessitudo* bonis codicibus commendatur: sed hoc quoque ex praecedentis verbi similitudine corruptum esse videtur: nam maius quid dicendum erat, post praemissum nomen *usum*, quam *consuetudo*, qua illud minime augetur.

15. *quum*: hanc particulam, quae quam necessaria sit recte vidit Orellius, inter omnis codd. notos soli exhibent Salisburgensis et optimus Florentinus.

16. *ex hac*] Sic demum hunc locum lucem suam nactum esse iure laetamur. In vulgata scriptura *in hac* frustra quaerebatur, quo pronomen referendum esset, quum praeter Gulielmum nemo dici posse censeret quasi Gallorum more: *sumo aliquid in tua fide, diligentia* cett. Quare plerique interpretes *in hoc* praetulerunt, quod Lambinus proposuit: sed quid hi omnes mediis illis verbis, quae Cicero inprimis extollit: *quam ipse — — dicendi*, fecerint, prorsus non intelligo. Contra restituta vera huius loci forma *ex hac*, omnia facile et apte decurrunt.

82, 7. *exemplis. Ponam*] Varia lectio, quae in optimis codd. apparet, *exempli causa* pro *exemplis* nobis nihil nisi error librarii esse videtur, qui litterarum *s* in fine nominis pro *c* accepit ex eaque *causa* interpretatus est. Si quis plus auctoritatis huic scripturae tribuat, possit is, mutata distinctione, hoc modo locum constituere: *neque in re nota consumam tempus: exempli causa ponam illud unum.*

83, 14. *sublatas* a Lambino olim e MS. enotatum, nostris assentientibus, non diutius ex ordine excludendum duxi: subscriptiones enim semel factae certe non delebantur, sed vis earum sequentibus iudiciis tollebatur. Etiam complurium codd. vestigia a vulgata scriptura discedentia (*delatas*) ad eandem correctionem ducunt.

18. *accepisse*] Optimos libros sequimur: utrumque perinde dicitur et *capere pecuniam* (v. supra p. 82, 23.) et accipere (v. p. 72 1.).

84, 7. *movere velit*] Singulari quadam levitate omnes post Gruterum editores huius sive iudicium sive errorem sequuti sunt, *moveri* sine ulla codicum auctoritate scribentes. Quod eo magis miror, quum sententiae aequalitas sic evertatur: nam quae sequuntur: *alter retineat et — existimet* Censorem agentem faciunt, non iubentem, ita ut iure alterum quoque eodem arbitrio praeditum expectemus.

85, 18. *municipii manu sua*] Hanc egregiam optimorum codicum scripturam libenter amplexus sum: iam enim id agitur, ut Oppianici flagitia quam acerbissime exagitentur: et sane haud leve convicium additur his verbis: *manu sua;* quae quomodo in plerisque codd. excidere potuerint, facilius intelligitur, quam quomodo ab ullo librario inventa fuerint.

86, 5. *pro abortione*] Male Ernestius quique eum sequuti sunt, hanc scripturam ex cod. S. Victoris enotatam aspernati sunt: quae, si totam de Oppianici sceleribus historiam cum hac enumeratione compares, unice vera esse apparet. *Potio* enim, quod illi rescripserunt, nonnisi ad caedem Dinaeae pertinere posset, quae cap. 14. narratur: sed hoc facinus paulo post breviter commemoratur: sed nusquam commemoratum esset flagitium illud, quod nullo modo potuit praetermitti, quo Magii uxorem ad partum suum necandum induxit (c. 12.), nisi h. l. scriptura *abortione* ex probatissimis libris reciperetur.

18. *ut gravissime dicam*] Optimorum librorum monitu ad vulgatam ante Garatonium scripturam redii: nam quod ille et recentiores interpretes voluerunt *(dicant)*, id necessario aliam mutationem: *gravissimum* requirebat. Tum autem ipsa fiducia, quo haec quae sequuntur, de Censoribus pronuntiat orator, excusatione quadam egere videtur, quae quidem nostra scriptura apte continetur: *gravissime* enim significat: *cum severitate et ingenuitate.*

87, 10. *quem iidem isti — subscripserunt*] Diu suspensus haesi in mira huius loci scribendi varietate, quam alto silentio praetermiserunt recentiores interpretes, scribentes, ut vulgatum est: *aerarium reliquissent.* Denique sententiae ratio vicit, ut exquisitam praestantiorum codd. scripturam praeferrem. Quid enim? Num haec erat ignominia relinqui in aerariis, si qui libertus aut peregrinus ab initio iis accensebatur? Erat haud dubie, si nota accedebat, si diserte subscribebatur a Censoribus relinqui eum inter aerarios, indignum esse, qui in tribum reciperetur. Hoc dicit, quam dedimus, scriptura: *reliquisse subscripserunt,* in qua omissum pronomen *se* nihil habet offensionis in Cicerone, qui centies sic loquitur more Graecorum: sic pro Mur. c. 3. 7: *qui gravissime et acerbissime ferre dixit.* pro Sest. c. 7. 15: *hunc — Cn. Pompeius — devinxerat, nihil in tribunatu contra me esse facturum.* — Illam quidem rationem quam exposuimus, veram huius loci esse censemus: libet tamen alteram proferre, longe diversam, quae si res ipsa, quibus nititur, magis compertae essent et firmatae, fortasse magis posset placere. Nos omnes *aerarium* pro homine accipimus infimae dignitatis: quid si fiscus publicus esset, quem scriba deseruisse argueretur? Erant scribae, ut satis notum est, et ut luculenter a Cicerone explicatur (Verr. III, 79. 183.) ordo honestus quorum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committebantur: multi eorum haud dubie in aerarii rationibus ducendis et ordinandis occupati erant: quod munus si quis negligeret aut prorsus omitteret, nihil obstare videtur, quo minus a Censore hoc nomine notaretur, *quod aerarium reliquisset.* Sed suspicionem damus, minime compertam rem.

9. *dicant: ceteri videlicet*] Veram hanc et priscam scripturam diu immerito exclusam omnium fere MSS. consensu reduximus. Verbum *dicant* nescio quam difficultatem alicui librario movisse videtur, ut hoc deleto voculam *quid* inseruerit, quae mire plerisque editoribus placuit. At nihil aptius magisque ad vivum expressum quam antiqua sententiae forma.

»Ut plurimum tribuam Censoriae subscriptioni, dicit orator, quid inde efficitur?« — *Dicant* scil. Censores, iidem, quos mox eodem modo invocat *(afferant)*, *duos esse corruptos.* Esto: at tum ceteri, qui non notati sunt a Censoribus, gratis condemnarunt, quod nobis quam maxime opportunum est: sic enim non circumventus, non oppressus est Oppianicus.

88, 5. *Aut illud afferant, aliquid esse*] Sic locum rescripsi ex coniectura, quam nunc a Leclercquio occupatam esse video, quae, quamvis *perversam* eam Orellius censeat, mihi tamen unice vera esse videtur. Illud quidem certe perversum est, si capitis sequentis initium recte perpenderis, quod novissimi editores ct ipse Lambinus negationem ante v. *comperisse* intruserunt. Cicero enim Censores, si cum ratione in reliquos iudices Iuniani iudicii, praeter duos illos quos notaverint, crimen aliquod iniicere cupiant, facta eorum et culpam afferre et demonstrare iubet: acerrime repudiat rationem militarem, qua temere et sortito ex numero reorum qui culpae affines habeantur, eligantur. Cui sententiae quae aptissime congruunt: *quod de his duobus habuerint compertum, de ceteris comperisse*, minime tangenda aut divellenda erant. Sed haec nullo modo cum prioribus illis, qualia vulgo leguntur, cohaerent: *Aut illud afferant, aliquid esse.* Nam quo vinculo duo isti infinitivi *esse* et *comperisse* copulentur? Scilicet uno librariorum errore omnia impedita sunt, quo levissima correctione sublato, et sensus et oratio apte proceduut, neque quidquam perversi reliquum est: pro verbo *esse* reponendum erat *sese.* »Demonstrent nobis, inquit, Censores, eandem culpam, quam in duobus deprehenderint, a ceteris esse admissam. Nam hoc quidem dicere non audebunt prudentes viri et honesti: omnes aeque in culpa sunt: sed nos duos ex illis pro arbitrio sortiti sumus ad notationem Censoriam.«

19. *qui in bello — deliquerat*] Nova haec, quam ex egregiis MSS. exhibemus, scriptura grave huius loci incommodum sustulit: nam quum in vulgata: *ne — delinqueret amplior ei* cett. homo iam notus cogitandus esset, nullus alius ex

superioribus potuit intelligi, quam *miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum vimque pertimuit:* quam ridicule, nemo non sentit. Iam illud nacti sumus, quod opus erat, novam personam eamque apte definitam.

89, 5. *tu non animadvertes* cett.] Optime h. l. Orellius Lambinianam rationem futuri temporis (*animadvertes, carpes, sortiere*) pro coniunctivis restituendi, a ceteris spretam reduxit, eamque egregia sua coniectura ornavit, *tu* reposito pro vulgato *ut*, quod Lambinus eiecerat: iam accedunt optimi codices ad veram lectionem firmandam. *Velis* tamen, pro quo Lambinus et Orellius *voles* dederunt, equidem cum libris omnibus retinendum duxi: intellige modo: *utcunque velis.*

18. *non eadem poena affici oportere? Convenitne*] Sic hunc locum lenissima emendatione constitui: nam haud dubie duplici infinitivo, quem longe plerique MSS. servant, in paucis tantum altero pro librariorum arbitrio eiecto, quamquam ferendus non erat, aliqua causa et ratio suberat: quam sic invenisse mihi videor, ut ingenuam scripturam *convenitne* oscitantium scribarum errore in infinitivum *convenire* abiisse statuam.

90, 11. *multitudini: nemini licitum est*] Verum h. l. (nam nemo facile de veritate dubitabit) soli palimpsesto Taurinensi debemus: corruptelae per omnis codices permeantis causa quaerenti statim apparet: nam primae litterae (*nem*) restituti vocabuli *nemini* praecedenti nomini *multitudinem* adhaeserunt: reliquae (*ini*) cum participio *licitum* coaluerunt, unde vulgatum illud *illicitum* ortum est.

91, 2. *illa iudicia reprehendisse*] Vix usquam apertior librariorum error reperietur, quam in verbis illis, quae ante Orellium huc intrusa legebantur: *cum equestri ordine:* nam eadem modo praecedunt, neque ullo modo h. l. intelligi possunt. Tamen omnes codd. praeter pal. Taur. ea agnoscunt, et quod magis mirandum est, ante Ernestium editores omnes facile ea tulerunt.

93, 5. *sua scientia*] Haec est scriptura omnium codicum praeter Francianos, quorum levissima est fides: contra quam cur Orellius nuper denuo luctetur, et alteram *conscientia* artificiosa quadam ratione tueri conetur, non video. Vide modo allata paulo ante ipsius Scipionis verba: *se scire; si quis contra vellet dicere, usurum esse eum suo testimonio*: nonne aperta ad haec verba Cicero respexit, quum diceret: *ipse sua scientia — contentus non fuit?* De verbi *scientiae* usu si dubites, conferas d. Divin. II, 9. 23: *futurorum malorum ignoratio utilior est quam scientia.* Sed sic potius disputandum erat in loco contra MSS. tentato: in magno codicum consensu melius non dubitatum esset a viris doctis.

95, 7. *in quos tum Consules designatos*] Garatonius egregie hunc locum illustrat, ostendens: idem quod in superioris anni Consules decretum fuerit, in designatos anni sequentis eodem tempore esse decretum, neque *decernere in aliquem* h. l. quidquam aliud esse, quam: tradere alicui senatusconsultum. Sed idem tamen dubitat de particula *tum*, quam ex emendatione profectam esse suspicatur: ipsi ex editione Naugeriana mutata distinctio placet in hunc modum: *num anno post — Cassius? in quos quum Consules designatos idem illud senatus decreverit, non tulerunt.* Sed primum particula *tum* non aliquorum, sed plurimorum et optimorum librorum auctoritate nititur; tum vero illud in ista ratione maxime incommodum est, quod priori quaestioni: *num L. Lucullus — tulerit*, nihil esset responsum. Contra simplex responsio, tam breviter enuntiata: *non tulerunt*, magnam vim habet. Accedit quod optimorum codicum ope unum, quod restabat verae scripturae incommodum sustulimus: dedimus enim, praeeunte Lambino, *decreverat* pro coniunctivo *decreverit*, qui huius loci non erat.

13. *referendum*] Haec unice vera scriptura nunc demum ex MSS. novum subsidium nacta est: nam duo optimi nostri contra notos omnis pro illa testantur. Sed non puto id cogitandum esse, quod voluit Orellius: «*rursus, denuo feren*-

dum.» Consulum omnino rarius est ad populum r
sed si quid deliberandum proposuerint, tum non mi
populum, quam in senatu eos *referre* existimo: quod
stio et Garatonio item videbatur.

96, 3. *placatum*] Garatonius multorum librorum
pturam *pacatum* probavit: immerito, opinor: nam i
inimicitiae potius, tamquam contrariae huic populi tra
litati cogitandae sunt, quam clamores et tumultus, (
sedatis recte *paratus* diceretur: etiam praestantiores lib
catum tuentur.

11. *aliorum*] Haec Ernestii emendatio tam certa
et necessaria videbatur, ut admittere eam non dubitaver
illorum, ubi certa nulla iudicia cogitantur, tum etiam
sequente *illo iudicio Iuniano*, nullo modo ferendum er
Ceterum respicitur h. l. locus in Verr. Act. I. c. 13. 38

97, 18. *si quid aliquando non opus esset ab se es*
ctum] Sic restituimus probam lectionem, quam Or
Garatonio frustra monente repudiavit: sed altera ill
quid aliquando quod non opus esset, ab se esset dictum,
primum in ed. Iuntina apparet, nihil nisi coniectura
videtur. At quanto festivius illud dictum est: *si qui*
opus esset a se esse dictum; grata quadam levitate,
quod semel dictum est, perinde etiam non dictum
posset. — Mox v. 20. non minus necessarie ante pron
quid ex optimis libris *si* addidimus, quod in reliquis om
ultima syllaba particulae *quasi* absorptum erat. Non pc
satis mirari incuriam omnium editorum praeter Lambi
qui solus veteris scripturae difficultatem sensit et ex in
suo amovit, *quod* rescripto pro *quid.* Unde enim pen
illa: *quid a nobis dictum aut actum sit?* Scilicet ab
hominum memoria non comprehendatur. Sed si pron
quid pro interrogativo accipitur, (quod sensus tamen
nime patitur) quomodo, quaeso, *id* potest subiici? Quo
tandem istud *id* ab interpretibus relatum est? — Om

Lambinianum illud *quod* necessarium esset, nisi melior scriptura nunc ex egregiis codicibus prodisset.

98, 5. *Cn. Plancum*] Eundem hominem h. l. nominari, qui de Orat. II, 54, et a Quinctiliano VI, 3. a L. Crasso contra M. Brutum defensus esse narratur, satis constat: tamen a plerisque editoribns, etiam ab Orellio, h. l. *L. Plancius*, in illo loco de Orat. *Cn. Plancus* scribitur. Sed de cognomine *Planci* iam dubitari non potest: nam nostro loco omnes fere et praestantissimi codd. cum constanti Quinctiliani et alterius Ciceroniani loci scriptura consentiunt: praenomen minus certum est: nam h. l. et *C.* et *L.*, apud Quinctilianum et *C.* et *Cn.* in MSS. invenitur. Nobis quidem receptam illam in loco de Orat. et in Quinctiliano scripturam sequi placuit.

100, 8. *si quam huic graviorem*] *huic* h. e. Cluentio; idque unice verum esse existimo: nam in vulgata scriptura quid sit *gravior opinio*, non video, nisi forte id quod huius loci non est: sententia graviter perpensa: *gravior*, quod aperte h. l. *infestior* est, dativum illum requirit, quem optimi codd. nostri commode suppeditarunt. Longe aliter comparatus est locus ad speciem similis p. 6, 3. de quo supra egimus.

13. *damnatione, respondi*] Distinxi commate post v. *damnatione*, quod nusquam factum vidi, ut, quae manifesto coniungenda sint, appareat, scil. *ad omnia — respondi* et *quae abs te dicta sunt de damnatione.*

101, 5. *defendisse, ac si*] Non potuit hic locus aliter restitui: idque iampridem Manutius, Car. Stephanus et Lambinus intellexerunt, quos Orellius iure sequitur. Nam si quis ab optimis libris *ac* pro *hac*, quod vulgo editur, certissime confirmatum viderit, non dubitabit, notissimum illum particularum nexum: *secus — ac si* h. l. ut saepe a Cicerone esse institutum: hic autem nulla alia ratione potest conservari, quam si praeter librorum auctoritatem infinitivus *defendisse* reponitur pro coniunctivo *defendissem*, quo omnia turbantur.

Ceterum *hac lege* valde incommode dictum foret, ubi nulladum certa lex commemorata erat.

102, 13. *neque me illa oratio commoveret*] Quamquam h. l. magni viri, Ernestii, iudicium cum palimpsesti Taurinensis auctoritate consentiat, tamen non moveor, quo minus scripturam ab utroque commendatam *commovet* verae huius loci rationi repugnare censeam. Sed vera ratio magno opere eo obscurata erat, quod capite novo nova plane et a superioribus disiuncta sententia incipere videbatur: quod minime verum est. Continuatur enim sine ulla sensus interpellatione superioris capitis oratio, ubi ostenderat Cicero, se hanc agendi viam Cluentio ipsi morigerantem iniisse: *si nihil aliud actum fuisset*, inquit, *nisi ut hanc causam obtineremus*, *lege recitatata perorassem;* et continuo pergit: *neque me illa oratio commoveret, quod ait Accius* cett. scil. tum, si nihil aliud quam illud ageretur. Sic omnia optime cohaerent, neque aliter dici potuit: nam quum orator sola lege niti recusaverit, quum ita causam egisse sibi videatur, ut nihil criminis in Cluentio relictum esse speret, non sic contra Accium disputandum erat, quasi nullam aliam defensionis rationem haberet, quam legis auxilium: haec tamen Ernestianae scripturae foret sententia.

103, 10. *in isto loco*] Quod Gruterus Victorium sequutus (Var. Lectt. l. XXIV. c. 2.) tam acriter contra sanum Lambini iudicium defendit, *in hoc sexto loco*, omnium fere nostrorum codicum auctoritate destituitur: sextus Praetoris in iudicio locus nihil nisi commentum est ex hoc ipso loco a Victorio confictum: at *sexto*, vel *sesto*, quod codd. quidam exhibent, ex corrupta voce *isto* ortum est, ut bene ostendit Garatonius.

104, 2. *C. Orchivii*] Hanc nominis formam et h. l. et supra p. 65, 17. optimorum codicum consensus tuetur, idemque commemorari videtur in lib. de petit. cons. c. 5., ubi codex Palatinus pro vulgato *C. Orcinini* nostram scripturam *C. Orchivii* praebet.

10. *sed labori et periculi:* vulg. *sed periculi;* at non tanta est huius loci vis et vehementia, ut anaphora commode adhibeatur.

105, 2. *nominavit*] scil. lex, plane ut supra: *quid eadem lex statim adiungit?* Sic nullam causam video mutandi cum Orellio (*nominantur* pro *nominarit*), qui si vulgata scriptura retineatur, omnia haec: *deinceps — nominavit*, a librario profecta esse censeat, quia tempus praeteritum non possit stare. Sed satis notum est, libros et quidquid scriptum asservatur, nunc quasi in praesentia aliquid referre aut nominare dici, nunc tum, quum scribebantur, retulisse et nominasse: sic h. l. eadem lex modo aliquid *adiungit*, modo non minus apte *omnis magistratus nominavit*.

15. *INVE SENATU*] Sic dedi optimos libros sequutus: nam quod supra v. 3. legebatur: *QUIVE IN SENATU*, id necessarium erat in abrupta formulae serie.

17. *Quis ergo — lege nolit?*] Mutavi distinctionem, quae vulgo ita comparata erat, quasi verba *qui tamen — nolit* responsum continerent quaestionis: *Quis ergo est?* quam rationem etiam Orellius nuper diserte exposuit et defendit. Sed mirum esset Ciceronis acumen, si illam de lege quaestionem: *Quis ergo est Cluentius* scil. *eorum*, *qui ista lege tenentur?* praeter omnium exspectationem brevi morum eius descriptione et laude solveret. Numquam hoc mihi persuadeo: sed illud de lege argumentum, quo satis probatum erat, Cluentium ea non teneri, optime orator sic interrogans concludit, ut nihil responderi possit: Si Cluentius neque magistratum habuit, neque in senatu sententiam dixit, quis ergo est, qui tamen defendi causam suam lege nolit? h. e. quamquam ille legis beneficio uti recusat? — Nempe omnino non est inter eos, qui lege tenentur.

106, 13. *quae te a me desiderare arbitror*] Haec est egregia scriptura optimorum codicum, quae in reliquis omnibus prava librariorum correctione interiit, non intelligentium, iam orationem ad Accium converti: haec igitur inter se

opponuntur, hoc: *Quamobrem de te, Cluenti, tibi obsequor;* et istud: *sed ea, quae te a me desiderare arbitror, non relinquam.* Accium se appellare Cicero haud dubie corporis conversione satis indicavit, etiamsi nomen non statim sequeretur, quod capitis incisione non apte a praecedentibus seiunctum est.

17. *eis — legibus*] Male Orellius horum verborum alterutrum delendum esse censet: *eis* h. e. talibus, in quibus personarum discrimen statuitur.

20. *accusavit, ut — uti oportere*] Quamquam h. l. non satisfaciat constans librorum scriptura, tamen integram eam restituere tutius duximus, quam incertis fluctuare coniecturis. Quod Lambinus edidit: *recusavit, quin quo altiorem — — uti oportere,* id omnino verum oratoris sensum ita exprimit, ut Ciceronem sic scripsisse haud poeniturum fuisse credam, scripsisse autem non putem. Fortasse nihil aliud mutandum est, quam verbum *accusavit,* pro quo *recusavit* omnino multo aptius videtur: tum autem nescio an structura *ut — putaret* pro simplici infinitivo accipi possit: id certe tenendum est, negationem, quae vulgo ante *oportere* inseritur, nulla omnino niti auctoritate.

107, 8. *qui summum*] Male vulgo *in* inseritur ex deterioribus MSS., quo neque structura verbi *adscendere* adiuvatur (v. d. Div. I, 28. 58: *adversam ripam adscendere.* d. Amic. c. 23. 88: *si quis coelum adscendisset* (e bonis codd.) Caes. B. G. I, 21: *iugum adscendere),* et alterum *petiverunt* e legitimo suo nexu eripitur, quum ad accusativum *summum locum* aperte pertineat.

108, 15. *si constitutum est*] Redii ad priscam probatamque scripturam a Lambino primum relictam et tentatam: indicativus *si — est* confidentissimam horum hominum spem depingit, qua tamquam factum sibi proponunt, quod sperant.— Mox verba: *qui rem iudicarent,* non sunt de certo quodam iudicio intelligenda, ut perfectum *iudicarint,* quod post Lambinum Orellius existimavit, necessarium sit: sed ordo iudicum

in universum indicatur, quemadmodum infra p. 109, 5. pro Mur. c. 11. 24: *consilio atque oratione et senatus et populi et eorum qui res iudicant, mentes permovere.*

109, 4. *ageret cum illa cuncta, quae tum erat, nobilitate*] Certissima huius loci constitutio, qualem cum omnibus recentioribus editoribus exhibuimus, Hervagio, quantum video, debetur. Inanis difficultates movit Graevius de usu nominis *nobilitas*, quod nisi ex ipso Cicerone compertum habuisset (cfr. Verr. IV. 37. 81: *nae ista praeclara nobilitas desinat queri.* pro C. Rab. 7. 21: *quum cuncta nobilitas ac iuventus accurreret*), ex Sallustio tamen et Livio notissimum esse debebat pro *nobilibus* saepe poni: cfr. Sall. Iug. c. 13: *in avaritia nobilitatis* et *in gratiam et favorem nobilitatis.* Liv. IV, 51: *pertinacem nobilitatem esse in retinendis publicis agris.* VI, 5: *multo eum infestiorem agrum ab nobilitate esse, quam a Volscis fuerit.*

9. *ceterique huiuscemodi ordinis*] Haec nullo modo stare possunt, neque ullam probabilem iuterpretum emendationem vidi: primum voc. *huiuscemodi* ex superiore loco huc aberrasse videtur: legitur enim intra unius paginae spatium quater, quod per se satis esset mirandum (108, 16. 109, 6. 9 et 21): tum pro *ceterique* s. *ceterisque*, quod in nonnullis codd. apparet, *equestrisque* legendum esse censeo: vix abstinui, quin hanc scripturam, quae certissima mihi videtur, in ordinem admitterem. Satis apparet, in hoc tractu orationis nostrae, qui in magna parte MSS. prorsus intercidit, multum peccasse obscurorum librariorum negligentiam aut temeritatem: veluti mox v. 21. verbum *anfractu* nescio ex cuius magistelli doctrina nobis obtrusum est: ne illic quidem importunum illud *huiuscemodi* bonae notae esse affirmaverim. — Ceterum iuvabit cum capite nostro simillimum locum comparare ex orat. pro Rab. Post. c. 7. Desunt ibi in simili honorum enumeratione *insignia*, quae h. l. Gulielmum et novissimos editores vexarunt: sed accesserunt alia, quae nostro loco desiderantur: *sacerdotia, triumphi, denique imago ipsa ad*

posteritatis memoriam prodita. Itaque nequaquam moveor suspicione illa, praesertim quum *insignia* minora quaelibet ornamenta complectantur, quae singula memorare non attinebat.

112, 5. *in hominum periculis defendendis*: vulgo: *in omnium*: sed quis *omnis* defendere sibi sumat? v. supra ad pag. 13, 9.

13. *quum infinitum, tum obscurum et occultum est*] Vulgo ante *infinitum* ex superioribus repetuntur verba: *incertum et*: quae non solum magnus MSS. consensus, sed ipsa ratio et necessitas deleri iubent: nam id ipsum quod in praecedente verbo *convenerit*, *incertum* tantum videbatur, id altero hoc *consenserit obscurum et occultum* dicitur: consulto igitur intenditur prius epitheton, quod minime cum amplificatione sua coniunctum stare potuit.

113, 11. *iudicis, cogitare*] Quae h. l. ante Naugerium et Lambinum inserebantur, *meminisse se hominem*, aliquantum auctoritatis nanciscuntur ex optimis libris nostris, qui soli eadem verba exhibent. Tamen equidem a me impetrare non potui, ut ea in contextum admitterem, sensu et oratione adversantibus. Primum enim haec adhortatio, quae aut superbis et ferocibus apte in animum revocari, aut ad levis errores excusandos adhiberi possit, vix huius loci esse videtur, in quo civilia potius quam humana iura spectantur. Tum vero verbum *meminisse* tam brevi intervallo v. 14. subsequitur, ut haec repetitio Ciceronis elegantia indigna esse videatur.

114, 16. *pro rei dignitate*] Denique veram hanc scripturam ex paucis, sed optimae notae codd. restitui: vulgo legitur: *pro rei publicae dignitate:* sed res ipsa, gravis ista de iudiciis in omnis ordines transferendis quaestio, iamdiu oratoris animum occupaverat, neque tamen satis hunc locum perpurgasse sibi videtur: rectissime igitur nimium se pro Cluentii voluntate, qui legis beneficio se ipsum privavit, parum pro rei dignitate, quae ad multas causas pertinet, dixisse censet.

115, *villicum*] Quamquam me non latuit paulo post plurium Cluentii villicorum mentionem fieri, tamen h. l. sine libris (nam Sylvii codici, si est liber manu scriptus, non multum tribuam) nihil mutandum videbatur, quod inde a Manutio, rescripto plurali numero *villicos*, in plerisque edd. factum erat. Facile fieri potuit, ut inter plures, qui rixae interfuerant, unus accusaretur.

116, 14. *vobis iisdem fortasse patronis*] Accium appellat et socios eius, quos eosdem mox item alloquitur (*subornatis*): omnino enim Ennii patroni, non Cluentii nominandi erant: nam quomodo quis adversarii patronis crimen' effugere dici potest? quod in vulgata scriptura: *nobis iisdem patronis* aperte inesset. Accedit, quod Accium acerbe pungat, eum furis cuiusque causam snscepturum esse dicens.

17. *Ambivium*] In re prorsus incerta egregium codicem sequutus sum, in quo illud bene se habet, quod praenomen non additur, ut in homine ignoto et obscuro: sic modo Ancharius, Pacenus, Ceius, Florus, Ennius nude nominati erant. — Eodem loco accusativum *hospitem*, iampridem ex cod. S. Victoris enotatum, ab optimis nostris firmatum esse laetamur: nam vulgatus ille genitivus *multorum hospitum*, qui lepidior Graevio videbatur, nobis quidem ex grammatica ratione non facile defendi posse videtur.

117, 16. *Vibium Cappadocem*] Hanc praestantissimorum Mss. scripturam eo minus repudiare visum est, quod aperte peregrinus erat Vibius iste, qui Romae apud hospitem habitabat.

22. [*At heres est Cluentius*] In his verbis non solum magna est librorum discrepantia (nam *at*, quod nunc ubique legitur, coniecturae debetur); sed bona pars optimorum codicum omnino ea non agnoscit: et iure quidem, opinor: quaenam enim haec est absurda criminatio, quae nullam veri speciem habet? Quomodo si ad alium cessit hereditas, quod facile certe argumentis demonstrari poterat, accusator tam

aperte Cluentium falsi criminis insimulare audebat? Quo consilio incommodum istud additamentum insertum sit, probe intelligitur: nam lacuna quaedam intercedere videbatur inter iterata haec simili fere sententia enuntiata: «*huius domi est mortuus*», et, «*intestatum dico esse mortuum*». Quam repetitionem tamen oratorie satis apte explicari posse puto: nam ut primum illud dixerat: *mortuus est*; altiore voce, repetito consulto eodem verbo, quae sequuntur pronuntiasse putandus est: *intestatum dico esse mortuum*: quibus omnis avaritiae suspicio funditus tollitur: si enim Cluentius eius hereditatem captasset, Vibium ad testamentum faciendum adegisset.

120, 21. *quod oderat Habitus inimicum*] Rursus hic locus demonstrat, quod iam ex multis apparebat, Lambinum, summum virum, rarissime in Cicerone suo sine librorum auctoritate aliquid mutasse: nam quod h. l. tacite receperat quodque paene necessarium videtur, nomen *inimicum*, cuius origo adhuc suspecta esse potuit, nunc praestantissimis nostris codicibus firmatur.

121, 4. 5. *adire — adspicere*] Verborum horum alterum sine codicibus, sed multis editoribus praeeuntibus recepi, quum libri scripti ad unum omnes *audire* exhibeant: alterum (*adspicere*) non minus tuto ex optimis duobus codd. et uno Lambino duce: nam sic demum gradus odii et contemptus continua serie indicantur: domi suae aliquem non recipere, non adire domum eius, eum non alloqui, denique ne adspicere quidem; *respicere* quamquam in longe plerisque MSS. legitur, et quamquam alte contra Lambinum, novantem scilicet, clamat Gruterus, plane huius loci non est.

122, 14. *latius potuit* cett.] Nescio quo infesto odio h. l. omnes fere interpretes scripturam omnium codd. *latius* persequuti sint: quae mihi tam proba et certa esse videtur, ut qui secus iudicaverint (quamquam ipse Lambinus inter eos conspicitur), eos huius loci rationem non satis perspexisse dicam. Nam haud dubie illi omnes, qui *latentius* receperunt,

hoc adverbium ad participium *abditum* retulerunt; sed quonam hoc ipsum sic retulerint, me quidem fugit. Sed quis semel monitus dubitare potest, quin haec omnia: v. 13. *Faciliusne* — — v. 18. *permanare*? una eademque periodo contineantur, ita ut tripartita quaestione interrogetur: *an facilius*, *an latius*, *an celerius* venenum artus permeare potuerit, in pane quam in poculo datum? sunt enim haec tria, quae maxime in tali causa aguntur. Iam vero vide quam apte paucis verbis in unaquaque quaestionis parte per ipsam interrogationem incommoda panis ostendantur: *faciliusne*, *quam in poculo* scil. quod sine ulla suspicione ministratur? *latiusne*, *abditum aliqua in parte panis* h. e. compressum in brevi aliquo angulo, in quo diu fortasse continetur, priusquam per totum corpus diffunditur, *quam si totum colliquefactum in potione esset? celerius* denique, *comestum*, ideoque tardius diffusum, *quam epotum* et sic in omnis partis velociter permanans?

123, 1. *propter multorum eiusmodi casum* — *haberet*] Longius h. l. quam vulgo codd. A et B. a recepta scriptura recedunt: immo manifesta diversae recensionis vestigia ostendunt, quae quanto vulgatae praestet, etiam hoc exemplo elucet. Nonne enim plane praeter strenuum Ciceronis morem foret, tam leniter temerariam veneficii suspicionem ex repentina morte petitam refellere: *satis firmam suspicionem hoc non habere?* Denique *casus* pro *morte* tam apte positus certe non est librarii commentum. Illud quoque animadvertendum est particulam *non* verbo *haberet* vulgo praepositam, quae ex nostra ratione ferri non potest, etiam ab aliis codd. omitti, quod satis vulgatae scripturae infirmitatem ostendit.

13. *Sex. Attio*] Sic scripsimus cum bonis libris: quodvis nomen obscuri huius coloni potius praeferendum erat, quam ipsum illud Oppianici *Statius Albius* cfr. p. 8, 2., quamvis hoc per omnis editiones vulgetur.

124, 14. *de * Ascla quodam*] Optimos codd. sequuti sic rescripsimus: nam hoc quidem certum erat, nomen ali-

quod latere in vulgata scriptura: *de assecla quodam servo suo*; quae quid sibi velit, non intelligo: cuiusnam *assecla* dicatur? Sassiaene an Stratonis? et quis diceret: *assecla quidam servus*? — Nomen autem haud dubie graecum erat, cuius veram formam (nam valde incerta est ea, quam dedimus) nondum divinare contigit.

125, 5. *ut arbitror, auctoritate advocatorum et vi tormentorum adducti*] Nihil in his novandum est: sed cum ironia ista proferuntur: nam si quid miseros illos ad confitenda etiam quae non commisissent, permovere potuisset, adduxisset certe *auctoritas advocatorum et vis tormentorum*: quum tamen nihil fassi sint, cum acerbo risu illud constantiae causam fuisse dicit orator, quod minime esse potuit, et veram causam, quam sponte quisque intellecturus erat, reticet, innocentiae conscientiam.

12. *adversari advocati*] Magno consensu editores omnes Carolum Stephanum sequuti sunt, qui primus *aversari* edidit pro eo, quod in vetustis edd. legebatur: *adversarii*. Concedo hoc ferendum non fuisse: cur tamen longius a scriptura illa recessum est, quam opus erat? Nonne satis videbatur, advocatos *adversari* h. e. hortari, ne ultra quaereretur? Cur continuo *aversari* eos necesse erat, quod vehementius esset, quam ipsum illud, quod sequitur: *et iam vix ferre posse?* Vera scriptura a nobis recepta diserte optimi Florentini et aliorum duorum auctoritate firmatur: reliqui omnes in terminatione aberrant.

126, 11. *Q. Metello*] Praenomen, quod a nullo cod. abest, restitui: non ideo Hortensio quoque suum erat addendum, quod Orellius contendit: nam Q. Metellus, Consul anni 683. a L. Metello, qui insequenti anno cum Q. Marcio Consul erat, distinguendus erat.

127, 7. *ex omni parte dentatam*] Invitis codicibus nostris hanc scripturam ex Prisciano recipere necessarium videbatur: *ex omni parte dentium* nullo sensu ante Ernestium

legebatur: nam una est in serrula, nisi insoliti quid accedat, *dentium pars*: quid esset igitur: *ex omni parte dentium*? — Iam autem haec serrula non solum ex inferiore parte dentata erat, sed etiam ex superiore et ab utroque latere: *serram dentatam* habet Plinius H. N. XXXVI, 22.

128, 15. *adfuisse*] Mira est h. l. in certa lectione et MSS. consensu editorum discrepantia: Lambinus ipse et Ernestius a vero aberrant: nam nobis quidem extra omnem dubitationem positum esse videtur, colonum illum (c. 62.) sive Attius sit sive Albius, huic quaestioni interfuisse: sed bonum virum eum appellare vetat orator. Idem indicatur c. 66. in.: *neminem reperietis nisi forte eiusmodi hominem, quem ego proferri malim, quam neminem nominari.*

17. *conata es*] vulgo *conata est*: cfr. de hac orationis conversione ad p. 12, 4.

18. *tametsi ab hoc non esse dictum mementote*] Hunc locum ab editoribus misere habitum codicum ope perquam sanavimus: corruptelarum omnium fons in eo positus est, quod *esse* in multis MSS. ab incuriosis librariis in *esset* mutatum erat: quo facto, *mementote*, quod in nullo codice omittitur, valde incommodum, immo sensu destitutum erat: quare in ed. Iuntina primum omissum, in sequentibus omnibus expulsum est: quamquam quem sensum ex loco mutilato exculcaverint interpretes, non video: nam is, qui unice verbis »*tametsi adhuc non esset dictum*« inesse potest: »*hoc quidem iam ab Accio sive a Sassia esse prolatum*«, ineptus foret. Cur enim si nihil novi affert, diserte inventum suum laudat? Sed quid in falsis commentis refutandis moramur, ubi verum remedium ab ipsis codd. suppeditatur? Cicero enim quum id, quod solum ab accusatoribus excusandi gratia dici potuit, ipse proferat, iudices admonet, id ipsum tamen ab Accio non esse dictum: *tametsi ab hoc non esse dictum mementote.* Laetatur igitur, ab improbis solam excusandi rationem, qua innocentem opprimere potuissent, non esse inven-

tam. Plurimum quoque ad locum prorsus restituendum optimi nostri libri fecerunt, qui *ab hoc* pro *adhuc* bene servarunt: nam opus erat hac oppositione: *mihi venit in mentem — ab hoc dictum non est.* Nam Sassia quidem, quod mox cognoscimus, inter quaerendum idem, quod Cicero nunc affert, dictitaverat. — Ad structuram quamquam per se satis expeditam cfr. c. 66. 187: *Stratonem in crucem actum esse scitote.*

129, 12. *tum Stratonem — dixisse*] Confirmant h. l. (quod vix iterum factum esse credo) egregii codd. nostri coniecturam Schützii, quam Orellius iniuste explodit, ipse toto hoc loco errore implicitus. Non enim tamquam de facto haec quaestio proferenda erat: *an — Strato dixit de veneno?* sed ita, ut statim appareret, si tale quid a Sassia esset dictum, nihil nisi confictum fuisse mendacium.

20. *primum*] Sic recte dedimus pro vulgato *primam*: nihil h. l. de prima oratione quaeritur: sed *primum* aperte in enumerando respondet sequenti particulae *post.*

130, 3. *veneni iam suspicio*] vulg. *suspicione*: emendatione nostra ex optimis codd. petita non solum euphoniae consulitur, molesto homoeoteleuto sublato; sed etiam ad orationis nexum multo praestat, illud non pendenti oratione (*suspicione — sublata*) esse enuntiatum, unde sequentia omnia pendent. Mox *iudicaret* ex MSS. praetulimus: nam Sassiae aliquod *iudicium* in beneficiis, quae in Stratonem contulerat, inesse iure existimabatur.

131, 1. *afferas*] Hanc formam cum libris omnibus retineo: inest admiratio quaedam in coniunctivo.

5. *nihil est auctoritatis*] Pro *nihil* Sylvius *aliquid*, Passeratius *nonnihil* coniecit: probantibus Lambino et Garatonio, magni iudicii viris. Tamen non accedo: nam illud *esto*, quod praecedit h. l. non est concedentis aliquid (quae est notissima eius significatio), sed deserentis quaestionem aliquam ut satis

agitatam; ideoque quodammodo conclusionem efficit. Mirum esset neque Ciceronis orationi conveniens, si quid vel minimum auctoritatis fictis tabellis concessisset.

132, 20. [*coniugii*] Suspicionis signo hoc nomen notavimus, quod in longe plerisque codd. desideratur: nam ut nihil offensionis haberet, si satis firma auctoritate niteretur, ita facile ab interpolatore inseri potuit, qui *sedem* disertius quam opus erat explanatam esse cupiebat.

133, 15. *muneribus*] Nihil fere auctoritatis ex nostris libris nacta est scriptura veterum editionum et Gruteri *muliebribus*, quam hic in octo Palatinis codd. se invenisse testatur, vereor tamen, ne paulo indistinctius exaratam. Ceterum ad sensum non tam improbanda mihi videbatur, si Ciceroni sic scribere placuisset: haud inepte, opinor, *collocatio filiae*, minus recte *spes hereditatis* dici potuissent *dona muliebria*. Nunc autem lectionem melius confirmatam retineo: *donum* et *munus* saepius coniunguntur: pro Arch. c. 8. 18.: *poëtae quasi deorum aliquo dono atque munere commendati esse videntur*.

16. *ita quod apud ceteros*] Cfr. ad p. 20, 20.

134, 17. *misisset: ipsa*] Aptissime mutata verborum collocatione etiam distinctionem mutavimus: sic demum intelligitur, quid sibi velit pronomen *ipsa*, quod in protasi moleste intrusum esse videbatur: quum accusatorem Romam misisset nefaria mulier, ipsa Larini morabatur ad reliqua subsidia conquirenda.

135, 3. *Fabraternorum*] Restitui veterum editionum scripturam, ad quam omnium librorum vestigia ducunt *Afraternorum* et *Fraternorum*: *Fabrateriae* situs eiusmodi est, ut non minus recte, quam *Aquinum*, in Arpini vicinitate collocari possit. *Venafranorum* ad sensum perinde foret: sed longius recedit a scriptura codicum. Minime probanda est coniectura Gruteri *Alfaternorum*; qui sinum Salerni accolunt et longe a Sassiae itinere distant.

17. *quam ulli aut urbi aut hospiti*] Nihil certius, quam probatissima haec scriptura a Graevio frustra tentata. Nam quod dicit ille, de urbe modo iam dictum esse, id quam maxime nostram tuetur: nam et *hospites* iam commemorati sunt, et consulto utrumque ab oratore iterum ponitur: nocti potius et solitudini, quam urbi aut hospitibus Sassiam sese commisisse.

136, 2. *quosdam*] Vide an ex optimi cod. Florentini scriptura *quos* fortasse *quasi* restituendum sit. Inutilis est coniectura Weiskii, qui *mortales* scribendum suspicatur pro *alios*.

22. *communi Italiae pace in domesticis copiis esse totum*] Primus librorum scripturam, cuius ne varietatem quidem ex ullo codice enotatam esse video, Naugerius in Aldina deseruit, reponens vulgatum illud *in communi Italiae pace domesticis copiis esse tutum:* quem reliqui omnes editores sequuti sunt. Sed idoneam nullam talis licentiae causam video: *domesticae copiae* iocose, qui post virorum discessum domorum remanent incolae dicuntur, senes, mulieres, infantes: quibus quum oppidum in absentia ceterorum custodiendum traditur, bene dicitur *totum in iis esse.*

137, 23. *laudationem decretam*] Egregiam hanc emendationem duobus optimis codd. debemus: in vulgata scriptura *laudationum decreta* et pluralis *laudationum* offendebat, et *decreta* nonnisi artificiosa ratione de ipsa laudatione intelligi potuit.

138, 13. *Quam non * abesse* cett.] Huius capitis initium dedimus, quale inde a Lambino in omnibus editionibus legitur, non tamen sine suspicionis nota: nam plura in eo valde incerta sunt. Primum verba *quam non* nescio cuius (fortasse Nic. Angelii (in ed. Iuntina) coniecturae debentur: nam codd. omnes *quando* exhibent: tum v. 16. verba *quam vellem* a Lambino addita sunt: denique *posse* in paucissimis inferioris notae MSS. apparet: reliqui *possem* tuentur. Nobis quidem

haec scribendi ratio in mentem venit, quae ad librorum vestigia multo propius accedit, quam vulgata: *Quam doleo abesse ab huius iudicio L. Volusienum — — praeditum! Vellem praesentem possem P. Helvidium Rufum — nominare!* Sed non placuit incerta dare pro incertis.

140, 8. *pudorem, veritatem virtutemque*] Quanto aptius pro *bonitate*, quae satis otiose vulgo inter pudorem et virtutem interiecta nihil novi afferebat, ex optimis codicibus *veritatem* nacti sumus, quae proprio quodam iure iudicum benevolentiae commendatur.

Corrigenda.

. 12, 6.	*lege* nuptialis
» —, 8.	— testis
» 18, 16.	— tris
» 64, 4.	— Multam
» 68, 15.	— commemoratam
» 74, 3.	— sapientis
» 77, var. l. v. 4.	— *opqr* (pro *oq*…
» 78, var. l. v. 8.	— *praeter a* (pro *α*)
» 80, var. l. v. 5.	— perinde *R vulg.*
» 86, 18.	— aliud
» 95, 1.	— pro (?) repone (:)
» 107, 13.	— Gracchus
» 118, 4.	— datam
» 157, 22.	— ubi

BONNAE, TYPIS C. F. THORMANNI.